CHRONOLOGIA BENEDICTINO-MARIANA.

BENEDICTINI ORDINIS IRREMISSUM SÆCULIS DUODECIM TANTÆ VIRGINIS

ET

MATRIS COLENDAE STUDIUM NOSTRAE

AC

SECUTURIS ÆTATIBUS REPRÆSENTANS

AUTHORE

R. P. F. GABRIELE BUCELINO, Monacho, Theologo ejusdem Ord: Cœnobij Vinearum.

Anno M. DC. LXXI.

Typis Ducalis Monasterij Campidonensis

Per Rudolphum Dreher.

REVERENDISSIMO ET SERENISSMO
S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO DOMINO,

BERNARDO GUSTAVO,

SACRÆ FULDENSIS ECCLESIÆ
ARCHIMANDRITÆ
DIVÆ AUGUSTÆ
ARCHI-CANCELLARIO,
PER GERMANIAM ET GALLIAM
PRIMATI,
MARCHIONI BADENSI
ET
HOCHBERGENSI,
LANDGRAVIO IN SAUSENBERG,
Comiti in Sponheim & Eberstein, Domino in Rötelen, Badenvveiler, Lohr & Mahlberg, &c.
DUCALIS MONASTERII CAMPIDONENSIS
COADIUTORI,
NEC NON
METROPOLIT. ET CATHEDRAL. ECCL.
COLONIENSIS ET ARGENTORATENSIS
CANONICO:
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

EPISTOLA DEDICATORIA.

BERNARDVM spectabat pridem, & expectabat hucusque hic Liber, nil nisi BERNARDO proprium dictans, lacte turgens & melle, affectus Virginei Amoris Mariani. Et digitum visi intendere, quo me verterem, duo Candidissimi BERNARDI, Claraevallensis & Montpessulanus *Serenitatis Tuae* gentilis & consanguineus; Purpurati similiter duo S. R. E. Cardinales Parmensis BERNARDUS, & alter BERNARDI melliflui discipulus, visaque non annuere solùm Benedicta Virgo, sed ipsis Marianis suis splendoribus *Serenitatem Tuam* mihi conspicuam; imò bis Illustrissimam, ter Serenissimam reddere, ut nemo mihi alius in mentem veniret. Horum proin nutu, imò quinq; & viginti Benedictini Ordinis BERNARDO-

RUM

RUM Sanctitatis nomine celebrium dictamina, Chronologiam hanc Mariano-Benedictinam *Serenitati Tuæ* offero & consecro; totque nominibus FULDENSES aggratulor Infulas, quotquot præsens volumen Cælorum Augustæ favoribus & amoribus illustres personas annumerat; gratulabundos omnes, non tam de honore recèns Fuldæ accepto, quàm sperato, minimè mortalis alicujus, sed immortalis & incomparabilis Cæli terræq; Imperatricis, tot inter Mariani Cultus Dictatores ARCHI-CANCELLARIATUS. Convenientissimum BERNARDI nomine munus. Nec inconvenientior FULDENSI ABBATI sacra ambitio: inter exempla tot Cælitum, devotionis Marianæ, nullo succensente, etiam PRIMATUM exambire. Tantam de *Serenitate Tua* spem concipit Ordo universus, ut quem, statim initio *Conversionis & sacræ Vocationis*, animadverterit rem seriò agere, & à minimis incœpisse, inq; solido Humilitatis Monachicæ fundamento, primos conatus posuisse, ut ad altiora securior consurgeret, juxta primævi in Ordine floris & vigoris exempla. Cùm summi olim in Orbe Principes, ad ima se ultrò demitterent, exemplarque omnibus solidæ virtutis & eximiæ sanctitatis esse satagerent, nulla re magis, quàm extrema animi demissione eminentes. Ista Cherubin & Seraphin Supremis, multos pares reddidit, adeò Numini,

adeò Numinis Matri charos, ut familiaritate sua, & quotidianâ, etiam in terris, consuetudine, ipsos dignarentur. Hos in *Te* redivivos, *BERNARDE Serenissime*, imò conduplicandum in *Te* eorumdem, tanquam Eliæ in Elisæo Spiritum, ipsi sibi Cælites pollicentur, offeruntque ultrò sua ad idipsum suffragia, quotquot hic nomina legis & gesta, in quo aliàs animadversum, vix quidquam legisse, quin in *Te* comprobaveris statim exercuisse. Ita, ita aspiret *Serenitati Tuæ* Divinum Numen, ita faveat Virgo Mater, ut in Te totum hoc volumen exhaurias, inque exempla Tua, postrema hâc Orbis & præcipiti ætate, juxta promissa Divina, Admirabili Patriarchæ nostro BENEDICTO facta, novo, ad normam primævi, fervore efferuescat totus Ordo, rapiatur & admiratione & imitatione, Orbis universus.

SERENITATIS TVÆ

Perenni devotione Cliens

P. F. GABRIEL BVCELLINVS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QVia prolixiùs cùm in Annalibus Ordinis noſtri, tum in Menologio alijſque noſtris Codicibus, hæc ipſa, quæ ſequuntur, deſcripſimus, id unum nunc agimus, ut ad gloriam tantæ Matris, diligentioribus obſervantioribuſque ejuſdem Clientibus, pro fructu & guſtu majore, rem compendio redhibeamus; cùm ut occupatiores velociùs ac faciliùs capiant, tum ut negligentiores rerum noſtrarum promptiùs legere acquieſcant, univerſi deniq́ue & tantis majorum ſuorum exemplis incaleſcant, & tantis Deiparæ favoribus accenſi atq́ue animati,

dignos

dignos tantæ Matrisfamilias Domesticos exhibeant sese, comprobentque eorum se posteros & hæredes minimè degeneres esse, qui Cœlum terras propagato Divinæ Matris cultu demerentes, non tam à BENEDICTO Patre, quàm BENEDICTA Matre Benedictini, hoc est, Mariano Benedictini, censeri & esse, voluêre, meruêre.

CHRO-

CHRONOLOGIA MARIANO-BENEDICTINA.

Ann. Chr. | S. P. N

Annus Christi 480.

S.mi P. N. BENEDICTI 1.

480. 1. BENEDICTAE Matris ac Virginis honori per orbem terrarum universum, longè lateque promovendo, peculiarissimè à Deo ter Opt. Max. destinatus nascitur S. P. N. BENEDICTUS, sicut ad præsentiam tantæ Virginis Joannes olim in utero Elisabeth Matris exiliens, sic iste non minore prodigio, maternis & ipse etiamnum clausus visceribus, jubilare & psallere exauditus; ut ille domini, sic iste Dominæ præco futurus, ut haud immeritò, etsi nemo in cognatione ejus esset qui vocaretur hoc nomine BENEDICTUS hic tantus filius, uti BENEDICTA Mater illa ab Elisabeth appellaretur. Fuit autem editus patre Anicio Eutropio Probo. Matre Claudia Abundatia Honorata, quam Riguardatam posteri dixêre, è familia longè augustissima, & à qua primi & præcipui Deiparæ in terris honores habiti, veluti primo illo Christiani nominis è Cæsaribus assertore & vindice Fl. Anicio Constantino Magno, qui & Orientem, & Occidentem Augustissimæ Cœlitum Imperatrici, seque suaque omnia sacra voluit, & præter plura ejus nomini & honori templa ædificata, eidem Novi Orientalis Imperij Metropolim, Novam Romam Constantinopolim sacram esset jussit, quam A. C. 330. solemnissimo ritu decimâ

Ann. Chr. | S.P.N | Maij, prævio incruento Sacrificio: votis ac precibus tantæ Matri consecravit, & ut Anniversariâ die Natalis Novæ Romæ, sicuti Antiquæ celebraretur instituit. Cujus etiam pietatem Deipara ejusque filius insigni quandoque miraculo confirmârunt, cum in Occidente etiam Cœli Reginæ consulturus honori, insignem eidem Basilicam in Gallijs moliretur, ipsâ Sapientiæ Matre, Architectum qualiter columnas 16. pedum crassitie prægraves erigeret edocente, & trium de schola puerorum debiles ad id molis, manus designante, qui cum Architecto tantam rem ausi, grandi prodigio, connitente utique Deiparâ effecêre. Nec minus tantæ Augustæ eadem ex familia Justinianus I. Augustus S. P. N. patruelis studuit, qui teste Procopio Hierosolymis Basilicam eidem tantâ magnificentiâ struxit, cujus pulchritudo & gloria omnem superaverit facultatem. Quod idem ab ipso factum in Samaria, Pegæ, Constantinopoli, Antiochiæ, apud Absagos ad Caucasum montem, & Chartagine, cum singulari Dei beneficio Africam armis subegisset. Ut nihil de Galla Placidia Anicij Symmachi conjuge, S. P. N. cognata dicam, de qua suo loco eximiâ cultûs Mariani propagatrice, ut & de quamplurimis alijs ejusdem Anicij sanguinis, qui suomet non tam augusti Anicio Nomine, quàm cultu Cælorum Augustæ, Augustissimi evasêre.

487. | 7. | Benedictus puer Romam ad studia literarum, septuennis mittitur, & illic ad avita majorum Palatia divertens firmissima sanctitatis fundamenta, eximio Deiparæ cultu jaciens imaginem quandam magnæ Virginis, sibi perquam familiarem facit, quam assiduis in dies precibus augustissimus puer religiosissimè veneratur, usque hodie Romæ asservatam, in Oratorio primis illis temporibus, ex ipsa ædium parte, ut vult Cajetanus noster, à pijs tanti Patris alumnis, gloriosissimo illius nomini consecrato. Et hoc primum est tanti Patris & Patriarchæ, puerili etiamnum ætate; ante & super alia omnia, monimentum.

493. | 13. | Benedictus puer augustissima parentum Palatia, Romam & omnes

Ann. Chr. S.P.N. omnes mundi delitias aspernatus, comitibus Angelis conspicuâ formâ duobus, & Cyrilla nutrice in solitudinem profugit, regijs ex opibus nihil secum efferens, præter Crucifixi imaginem, in qua & Deipara ære fusa videbatur. Effide primùm subsistens, ubi primo miraculo sanctitas ejus enituit, capisterio precibus ejusdem restaurato.

494 14. Ipsam etiam Nutricem fugiens Benedictus in abditissimam sese solitudinem recipit, contentus Crucifixi & Matris Virginis imagine, ubi plurimis deinceps annis meditatur, juvenis verè Marianus, & terrestris seu corporeus Mari-Angelus, quonam potissimum modo plurimos imò innumeros deinceps Crucifixo suo lucraretur, & Matris ejusdem honorem cultumque toto terrarum orbe promoveret.

498. 18. Etsi non memoret magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius, ope tamen proculdubio triumphans & Patrocinio ejus quàm unicè colebat magnæ Virginis, tentatus graviter Virgo Benedictus, vestibus totum corpus suis expolians, similis sponso sanguinum & Virginum factus, totum se toto corpore cruentat, in senticetum se densissimum induens, diuque volutans, donec tentatio sopiretur, & ipse verè jam lilium inter spinas, virginum Virgini ejusque filio memorando imprimis tuendæ pudicitiæ exemplo & argumento summopere se commendaret, eam deinceps gratiam meritus, ut in vita omni, velut jam positâ carne, nihil à carne pateretur, Virgineus totus, eo ipso quod virginum Virginis castissimis amoribus totus deflagraret.

499. 19. Ex hoc potissimum tempore cum laurea quoque Castitatis eam juxta gratiam indeptus videtur Marianus hic juvenis Benedictus ut multò deinceps impensius virginum Virginem adamaret & coleret, suscepto imprimis memorabili ejus colendæ obsequio Psalterio nimirùm centùm quinquaginta Salutationum Angelicarum Mariano, cujus posteà cùm per se tum per suos usum toto terrarum orbe, admirabili cum fructu, inæstimabili cum meritò, septingentis ferè ante Divum Dominicum (qui intermissam consuetudinem certè remissiorem resti-

An. n Chr. | S. P. N.

tuit) annis prædicavit, commendavit, propagavit.

505. 25. Eligitur Abbas diu multumque reluctans, quod ſuos Monachorum illorum moribus non congruere minimè neſciret, ſed veneno appetitur, ſervatuſque miraculo dum ab ipſis digreditùr, paulò poſt plures lectiſſimos diſcipulos meretur, quibus dictante Divino Spiritu Regulam ſcribit diſcretione præcipuam, ſermone luculentam; eam à Numine gratiam, pro ſuo in Deiparam oximio cultu & devotione conſecutus (ut diſertiſſimis verbis B. Alanus de Rupe Ord. Prædicat. B. M. V. Secretarius, prædicat) tanti ut fieret Ordinis Patriarcha & Inſtitutor.

510. 30. Multos deinceps Alumnos ad ſe confugientes ſuſcipit, Abbas ex ſolitario factus. Naſcitur eodem anno S. Maurus Anicius, Æquitij V. C. filius, S. P. N. cognatulus magnus deinceps, ut videbimus, & Ordinis & Pſalterij Mariani propagator.

512. 32. Sub hoc vere tempus ad annum uſque Chriſti 527. Sanctus Pater Benedictus duodecim prima per Valeriæ provinciā condit Cænobia, quæ inter celebre illud magnæ Virginis honori S. Mariæ de Portiuncula, alias de Morrebota & in Primerana cognominatum, ad cujus exemplar aliud ejuſdem nominis ædificatum poſteà in agro Aſſiſinate fuit, & Seraphico dein Franciſco donatum. Meruit magnas ad hanc Viginis ædem gratias magnus Patriarcha noſter, uti & ad illam primam ſui Ordinis ſtationem Franciſcus, uti paulò poſt videbimus.

515. 35. Naſcitur Illuſtriſſimus Ordinis Protomartyr Anicius Placidus, Tertulli Patritij filius, S. P. N. lectiſſimus nepotulus, qui poſteà cultum Deiparæ per Siciliæ regnum ferventiſſimè propagàns ſuo etiam Sanguine conatus tam illuſtres conſecravit.

517. 37. Contigiſſe ſub hunc circiter annum ominamur, quod de celeberrima promiſſione divinitus S. P. N. facta noſtri Ordinis Chronologi memorant; quam ipſam Divinæ Matris interventu meruiſſe, cum ex Divi Alani ſupra aſſertione, tum ex

loco

Ann. Chr.	S.N.P.	
		loco ipso tantæ Tutelaris honori & nomini sacro, colligimus. De qua ita vetustissimus liber M.S. Sublacensis: Quodam tempore, cum S. P. Benedictus in loco, qui fortè post obitum ejus S. Mariæ de Portiuncula, posteà S. Maria Morrebotis, situs propè sacram Specum circa mille passus &c. oraret, Angelus Domini ei adfuit, sedens super quendam lapidem, dicens: Benedicte, Deus ad te me misit, ut petas quidquid ab eo volueris, & exaudieris. Cui Sanctus respondit: Et quid ampliùs petam, cum tanta à Deo receperim? quid ulteriùs petere præsumam? Tunc Angelus dixit: Quoniam nihil ampliùs petere voluisti, Deus per me dona quinque tibi concessit: videlicet 1. donum, quod Ordo tuus usque in mundi finem stabit. 2. Quod in mundi fine S. Rom. Ecclesiæ adstabit, & plerosque in sancta fide roborabit. 3. Quod nullus morietur in tuo Ordine quin salutem consequatur, & si malè inceperit vivere, si non destiterit, vel confundetur, vel ab ipso Ordine projicietur, seu per se (desunt cætera, quæ supplentur ex M. S. Lirinensibus hoc modo) egredietur. 4. Quod omnis qui Ordinem tuum persequetur, nisi resipiscat vita sibi abbreviabitur, vel mala morte morietur. 5. Quod omnes, qui ordinem tuum diligent, bonum finem habebunt. Ex Antiquit. Sublac. Lirin. Jepes. Wionio. &c.
522.	42.	Maurum & Placidum Nepotes duodennem illum hunc septennem Oblatos à parentibus Romanorum nobilissimis suscipit in Monasterium S. P. N. eosque in cultu Divino & magnæ Matris ita instituit, ut & Religionis posteà Monachicæ lapides fundamentales, & Mariani Psalterij per Gallias & Siciliam præcipui Authores haberentur.
529.	49.	Dignissimus Deiparâ Virginum Virgine cliens structis suorum castimoniæ per Florentium Presbyterum insidijs, sedem mutat, sublacum deserit, & ducentibus Angelis Casinum concedens locum quadraginta dierum jejunio consecrat, eversisque inanium Deorum lucis & statuis, Archisterium Ordinis Casinense, totius Ordinis Deiparæ sacri, omniumque caput Mo-

Ann. Chr. | S. P. N.

nasteriorum; quia ut Beatus Urbanus eo nomine secundus Pont. Max. ait: *Ex eodem loco de BENEDICTI pectore, Monastici Ordinis Religio, quasi de Paradysi fonte emanavit. &c.* Inde excurrens Benedictus, ultimus jam Italiæ, provinciarum Europæ oculi medicus & Apostolus (*Divino judicio*, teste Divo Thoma. Opusc. 19. c. 4. *reputatus idoneus, ut ei immediatè à Deo prædicationis officium committeretur.*) Zelo apostolico, non sine singulari Reginæ Apostolorum suique Ordinis Tutelaris præsidio, auxilioque insanam infidelium multitudinem circumquaque ad Christiana Sacra vocavit, hostemque humani generis ultimâ Italia possessione ejecit.

530. 50. Casini denique sub hunc ferè annum, Regulam, quàm Divino dictante Spiritu scripserat, S. P. N. absolvit, Magnus maximi Ordinis, imò, Monachorum omnium Patriarcha effectus. Quod ipsum omne non tam ipsi Benedicto Patri, quàm Benedictæ Matri & Virgini deberi, adeoque non tam illum, quàm istam Institutores Ordinis esse; Secretorum Deiparæ conscius B. Alanus de Rupe Dominicanus, Vir Maximus, indubitatæ fidei testis affirmat, dum omnem hanc Benedicti eminentiam & gratiam, impenso Deiparæ ab eodem cultui, dissertissimis verbis assignat, tantumque huic devotioni tribuit, *Ut eo*, verba ipsiusmet Alani sunt, *tam Divinæ monasticæ institutionis Fundator & Author fieri mereretur, &c.* part. 1. Apol. pro prædicatione sua de Psalterio. c. 8. n. 7.

531. 51. Evocatur BENEDICTUS Pater ad Concilium Romanum à Bonifacio Papa, interque cæteros Christiani Orbis Pontifices & Christi Sacerdotes considens, nomen etiam illic suum apposuit, prodente nimirum ipsum famâ, *eo quod tunc liquidò omnibus pateret, quod Virum venerabilem latere nihil posset, in cujus auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent*, ut qui Prophetico non solùm, sed *Spiritu Iustorum omnium plenus*, de plenitudine utique illa, sacro illi Patrum Senatui uberrimè communicare posset. Exoratus dein à Pontifice, Patribus, & urbis Proceribus, Romæ aliquot annis substitit, in eo quod sub Hormisda

A Basili-

Ann. Chr. S.P.N. silicæ Lateranensi adjunxerat Cœnobio commoratus, donec largitione cognatorum aliorumque Principum, & concessione Pontificis, plurima alia per urbem monasteria moliretur, & hoc ipso anno S. Pauli Basilicam, sed & S. Erasmi choro Monachorum instrueret, & Monasteria juxta easdem Ecclesias ædificaret. Quo ipso tempore Psalterium Marianum immortali cum merito, fructu incredibili per se suosque Romæ commendavit, cœlumque & Cæli Reginam immortaliter demeruit, cui tantæ Tutelari, non minùs hos tanti Patris in urbe, quàm alios toto orbe successus meritò assignamus, agnoscimus, & revera Deiparæ BENEDICTAE Institutrici nostræ debemus, Const. Cajet. Ant. Iepes. &c.

532. 52. Missis jam longè latèque suorum colonijs S. P. N. cultum Deiparæ cum Psalterio ejusdem, simulque Ordinem propagat, certatim ab urbibus diversis ac provincijs invitatus, ubi condens Cœnobia, non tam sui quàm Mariani nominis æterna, ut illustrissima monimenta, orbem mirificè demeruit; memorabili Benedictinorum Monasteriorum, sæculis deinceps, consequentibus in huncusque diem structione, ut vix illum uspiam reperiatur, certè olim repertum sit, absque domestici, Monachorum usibus familiaris sacelli cujusdam molitione, quod Matrisfamilias Ordinis, magnæ Matri, Virgini BENEDICTAE dedicabatur, ad quam scilicet sui domestici commodiùs occurrerent, & absque arbitris sæcularibus, suas illic preces & lacrymas, in suæ Dominæ sinum funderent. Monialium hoc item tempore plura passim condita Cœnobia, Jepesius memorat; apud quas procul dubio, usus Psalterij Mariani plurimum profecit, & pietas illa res illarum egregiè promovit. E virorum Cœnobijs ad hunc annum initia refert idem Jepesius, S. Salvatoris, & S. Spiritus Majelensia, Novaliciense, sed & in Insulis Diomedis Tremitense.

533. 53. Sub hunc ferè annnum S. P. N. tam virorum, quàm Virginum Cœnobijs ornat Basilicam Vaticanam S. Petri, connitente imprimis cognatâ ejusdem lectissimâ S. Gallâ Placidiâ

Sym-

Ann. Chr. | S.P.N.

Symmachi quondam Anicij V.C. Conjuge, quæ & illic Deo ac Deiparæ sese emancipans admirabili sanctitate effulsit. Huic ante suam conversionem admirabilis sanè gratia à Numine obtigit: namque imago Beatissimæ Virginis, filium suum in ulnis gestantis delata miraculosè in domum Gallæ Angelicis manibus, eam mirificè exhilaravit, quæ ad S. Joannem urbis Pontificem advolans eumdem gaudij conscium & participé voluit, qui & ipse quamprimum occurrens, novo prodigio recreatus est, cum fusis in domo Gallæ precibus eandem imaginem denuò in aëre elevatam conspiceret, quàm & Angeli in manibus ejus deposuerunt, campanis totâ urbe, pulsante nemine consonantibus, & peste quamprimùm, quæ tunc grassabatur, beneficio Virginis depulsâ. Fuit autem imago illa aureis lineis in lapide pretioso Zepherino Angelicis manibus efformata, ac multa luce circumfusa, ut facilè æstimes, quanti dein Deiparam Galla nostra fecerit, monasticum maximè deinceps BENEDICTAE Matris BENEDICTI Patris Ordinem professa, & ab ipsomet proculdubio BENEDICTO Psalterij Mariani usum edocta, qui alios erudiens, cognatam tam sanctam quam dilectam, illud celare non potuisset, præsertim cùm quotidie ferè ad vaticanum occurreret, & præter Gallæ illud virginum Cœnobium, tria Monachorum Collegia illic conderet; & in Divi Petri Basilica Chorum instituerit. Ex Const. Cajet. vita S. Joann. Pont. Aut. Baling. &c. Annal. nost. &c.

534. 54. DEI param insigniter meretur S. P. N. adjuncto item circa hunc annũ egregio Monachorum, ad S. MARIÆ Majoris, sive ad Nives, Collegio. Quo loco, quis explicet satis, quantâ devotione primævus Ordinis nostri fervor sese Dominæ nostræ commendaverit, & quantâ pietate sese in Psalterio Mariano, prima Rosarij Congregatio se exercuerit, præcipuo, maximè Deiparæ præcone Marianæ & Benedictæ Congregationis Patriarcha, quotidie ad eosdem occurrente, excitante, animante, & accendente.

Cas-

536. 56. Cassinum revertitur S. P. N. ex itinere ad varia recèns structa Cœnobia invisens, quo ipso anno S. Placidum cum Socijs in Siciliam destinat, admirandis in itinere prodigijs illustratur, cum virtute & meritis S. Patris sui, amantissimus filius exorato Numine innumeris morbis & ægris mederetur. Eodem anno in unico solis radio, felicissimus Patriarcha mundum universum, & Divinam, ut maximi sentiunt Theologi, Essentiam intuetur. Cujus si causam, & tantorum miraculorum B. Alanum roges, nullam aliam esse contenderit, quàm cultum BENEDICTI Marianum.

537. 57. Psalterij Mariani usum, & Benedictini Ordinis institutum, missâ ad Oceanum usque Cantabricum, & fretum Herculeum, lectissimâ suorum coloniâ S. P. N. BENEDICTUS, magno cum fructu propagat, struuntur prima & lectissima per Hispanias Cœnobia, S. Petri de Cardenna, S. Turibij de Lieuana, aliaque & Lorbanense in Portugallia, lectissimis magni Patriarchæ discipulis SS. Turibio, (qui Romæ in Lateranensi Cœnobio jam ante quingennium in manus S. P. N. professionem Monastices fecerat, reversusque in Hispanias paulò post, Episcopatum Palentinum meruerat) nec non Adelphio, Exuperantio, Euphemio, Venantio, Exuperio, alijsque rem Cœlitum Reginæ in terris strenuè promoventibus. Ant. Jepes. Marcus Maximus, Franc. de Bivar. &c.

538. 58. Palmariæ Insulæ Psalterij Mariani usum infert S. Silverius noster summus Pontifex, eo in exilium à Vigilio invasore deportatus. Qui ut erat ipsiusmet magni Patriarchæ discipulus, non tam suas illic calamitates amore & cultu Deiparæ solatus est, quàm Insulæ illius incolas informavit atque beavit. De Monachatu Silverij consulendi Jepesius, Cajetanus. &c.

539. 59. Fame per Italiam nimiùm invalescente, maximo ad BENEDICTUM egenorum concursu facto, afflictorum Consolatricis, haud immemor tunc, qui nunquam non memor, occasione bene usus juxta miraculorum gratiam magnus Patriarcha, nomen BENEDICTAE Virginis & cultum, solerti studio

Ann. Chr. | S.P.N.

tem Occidentemque per regna & provincias omnes, tantopere adamatus ipsi Reginæ Cælorum sui cultus, à magni Patris discipulis, maximâ fidelium consolatione disseminaretur. Quod ipsum, ille magnus magnæ Matris & Augustæ Cancellarius, Alanus de Rupe, Dominicanus Monachus his ipsis verbis affirmat: Tanti Patris (BENEDICTI scilicet) ab exemplo, sacer mox Fratrum Chorus universus, per Orbem latè secum circumtulit Psalterium, & cætera præter consueta Ordinis exercitia Divina, istud quoque velut privatum quisque in delicijs suis secretioribus deamauit interius, & in eo almam Virginem Matrem Sponsam Sponsi sui, sanctâ quadam familiaritate cordialius disuaviavit &c. cap. 8. n. 7. part. 3. Accensi autem tanti Patris studio, quin & usu Psalterij ipso, filij Nepotesque deinceps, castissimis virginum Virginis amoribus tantopere studuerunt, ut pleraque quæ in hodiernum usque diem in honorem Deiparæ celebrantur Festa aliaque ejusdem colendæ exercitia, ipsum etiam B. M. V. Officium ut vocant Horarium, trina quotidie sub lucis ortum & vesperum salutatio, alia ejusmodi sexcenta, pleraque inquam, ac penè omnia tanti parentis posteris & seris ex eodem Benedicto Ordine nepotibus debeantur. Ut nihil de innumerabilibus omninò monimentis dicam, quæ longè illustrissima, triumphatæ etiam Gentilitatis Trophæa, iidem unicæ suæ Tutelari erexerunt & consecrârunt, Altaria, Sacella, Monasteria, Basilicas, etiam Cathedrales quamplurimas, ita ut vel sola Cisterciensis nostra familia ad decemmillia Monasteriorum Assumptionis DEI paræ honori, alij diversis nuncupationibus sua eidem Templa ac Cœnobia dedicarent, quorum pleraque magnis etiam Deiparæ favoribus insignita, miraculorum gloriâ, innumeris fidelibus ad diversas B. M. V. memorias apud nos, recurrentibus nobilitata sunt, & usque hodie commendantur. Sed de multis deinceps suo tempore; Cæterùm obijt magnus Pater ipso ætàtis Deiparæ, ut plerisque placuit anno sexagesimo tertio, sed & die eidem Benedictæ Matri nostræ peculiariter sacro, Sabbatho nimi-

Ann. Chr. | S.P.N.

rùm, & Sabbathorum præcipuo, Parasceveos scilicet, quo magna Mater Filium suum sepulchro intulit, iste autem ad tumulum sibi paratum atque apertum stans, in Domino requievit, ad Dominam suam transijt.

544. 64. S. Maurus Beatissimi Patris nostri discipulus cum socijs anno superiore in Gallias delatus Regnum illud Psalterij Mariani usu beatissimum reddit, & Glanofoliensem Congregationem instituit.

Apud Casinates defuncto Patriarchæ sanctissimo succedit in Abbatiali honore S. Constantinus, qui quaquaversum suorum in diversas provincias & regna destinatis colonijs Cælitum Augustæ cultum longè lateque propagavit.

Ipso anno Justinianus magnus Imp. Aug. S. R. Imperij Legumlator, Legislatoris nostri Patruelis, apud quem hoc tempore Constantinopoli S. Gordianus noster, S. P. N. discipulus, S. Placidi nuper socius lectissimus versabatur, Psalterij usum ab hoc procul dubio edoctus, quasi cum Patruele sanctissimo jam in cælis regnante ipse in terris, pietate in Deiparam certaret, solemnissimâ constitutione Festum Hypapantes ad ejusdem Filium in templo præsentantis honorem celebrari instituit ac præcepit. Quo primùm celebrato, pestis, quæ tunc in urbe latiùs grassabatur, beneficio Benedictæ Matris & Virginis, sublata est. Niceph. Baron &c.

545. 65. Moritur S. Remigius Rhemensis Archiepiscopus S. P. N. BENEDICTO addictissimus, à nonnullis ob idipsum S. P. discipulis accensitus, eò quòd etiam in Episcopatu Monachicam exerceret, novi instituti per Gallias egregius Promotor, DEIparæ cultu ferventissimus, cujus templo Laudunensi Episcopum præfecit, & illud imò Dominam suam magnis muneribus & donationibus honoravit.

547. 67. Floret florentissimus Mariani in Gallijs Paradysi flosculus, sanctissimus Princeps Florus, Glanofoliensis Cœnobij Conditor liberalissimus, Theodoberti Regis manus dextera, qui Marianis Cultoribus accensus, filium unicè dilectum Bertholdum

S. Mau-

Ann. Chr. | S.P.N | S. Mauro offert. Succedunt hujus exemplo è Magnatibus plurimi, & cum Monachico Instituto, cultus Deiparæ, & Psalterij, Mariani usus, felicissimè propagatur.

550. 70. S. Isaac Abbas moritur inter primos Italiæ veteres Monachos Regulam S. P. N. amplexus, qui apparente Cœlorum Augustâ ejusdem jussu Monasterium exstruxit & egregia refulsit sanctitate.

S. Leopardus Beatissimi Legislatoris discipulus Psalterij usum in Germanias usque profert, & nobilissimam provinciarum Alsatiam locupletiore uberioreque omnium fructuum proventu beat. Ubi & Monasticum Ordinem primò fundat, & Deiparæ ope Gentiles ad Christiana Sacra invitat.

552. 72. Multa per Gallias Cœnobia, connitentibus Regibus, sed & templa atque Sacella Deiparæ honori ac nomini exstruit S. Maurus, Turonensi alijsque Cœnobijs S. P. N. Regulam amplectentibus: in quibus Deiparæ honor egregiè promovetur, & in exteros quoque ac sæculares pietas diffunditur.

555. 75. Claret lectissimus magni Legumlatoris nostri Discipulus S. Æquitius, conditorum 12. primorum per Valeriam Cœnobiorum plurimumque deinceps Generalis pro eximijs meritis factus, idem Propagator & Ordinis & Psalterij egregius, qui plurimum temporis videtur in Monasterio B. M. V. de Portiuncula, cujus & curam gessit, exegisse, primævi fervoris tam in cultu Deiparæ quàm Ordinis observatione præcipuus Promotor.

Celebrantur in Hispanijs initia plurimorum in urbe Toletana Monasteriorum, & celeberrimi imprimis Agalliensis Cœnobij Deiparæ cultorum præcipuorum Seminarij, è quo magnus ille Isidorus, Ildefonsus, Eugenius, alijque prodiêre.

556. 76. Dionysius exiguus, Marcus Aurelius Cassiodorus alijque Viri clarissimi & sanctissimi Italiam & Orbem demerentur, qui non tam docti litteras (ut erant miracula eruditorum) quàm cum vita Monachica cultum magnæ Ordinis Matrisfamilias, Scholas Marianas erexêre, Juventutem non tam litteris, quàm

Ann. Chr.	S.P.N	
		nobij ejusdem & Author, Congregationis Mariano-Benedictinæ Dolensis, olim celeberrimæ, quem consimilibus penè verbis Matri prænunciavit Angelus, ijs quibus virginum Virgini Archangelus, sterilem sic affatus, *Felix*, inquit, *uterus tuus, feliciorq; erit fructus uteri tui: ecce enim Deo jubente filium habebis, & Samsonem nomen illi vocabis, & quem tu paries, ille Filius Dei erit.*
565.	85.	S. Simplicius tertius à S.P.N. Casinatum Abbas, missis quaquaversum Psalterij Mariani & Monachicæ vitæ propagatoribus, Regna diversa & provincias demeretur.
566.	86.	Enituit splendore maximo in Gallijs S. Radegundis Regina, uti pietatem & virtutes omnes à nostris edocta sic Psalterij imprimis usu exercitatissima, certè Deiparæ cultu imprimis spectata, cujus honori sub hoc tempus egregiam Basilicam & Monasterium moliri cœpit, multaque alia in gratiam Reginæ Reginarum suscepit, de quibus suo loco.
568.	88.	Debebatur præcipuis cultûs Mariani promotoribus prima illa condita Deiparæ in honorem Basilica & erecta jussu ipsiusmet Divinæ Matris etiamnum in terra superstitis, insignis, à Proto-Martyre Apostolorum cognato ejusdem S. Jacobo Apostolo, memoria, S. MARIÆ de Pilari, quàm sub hoc ipsum tempus, adjuncto à nostris Cœnobio habitatam à Benedictina sua familia Materfamilias Benedicta egregiè illustravit. Fuitque deinceps nihil gratius Cælorum Augustæ, quàm è Cælis ad nostros divertere, & si uspiam prodigiosam, in sua illa familia demonstrare. Ita ut innumera ferè deinceps Cœnobia, ab Iconibus Deiparæ prodigiosis inclarescerent, hujus & piorum liberalitate mirificè dotarentur atque ornarentur. Uti in hodiernam diem celeberrimæ pleræque in orbe peregrinationes, ad diversa B. M. V. in Ordine Cœnobia prodigijs longè illustrissima instituuntur, de quibus sæpiùs deinceps mentio incidet. Cæterùm de Basilica S. Mariæ de Pilari, oculatus hujus ipsius sæculi testis Beatæ mem. M. Maximus noster, Bivarius, alijque.

Eccle-

Ann Chr.	S.P.N.	
		ſervîerunt. Sed ob populi occurſum nimium alio commigrantes, à morte tamen poſtquam ad æterna Dominæ ſuæ Palatia commigraſſent, corpore etiam, Baſilicæ ejuſdem inferri meruerunt, magnis illic miraculis illuſtratæ,
580.	100.	Celebres habentur hoc anno SS. Eutychius & Florentius, qui primi Archiducis Congregationum Marianarum S. P. N. Benedicti natale ſolûm, Nurſiam Monachatu ſuo honorantes, Benedictam in Benedicto ſuo, alterum in altero inſigniter demeruerunt.
581.	101.	S. Brandanus noſter cultum Deiparæ Indijs infert, & æternùm meretur. Tanto ante, quàm noſtra ætate, Evangelij lux denuò illis illuceſceret.
582.	102.	Illuſtrem feliciſſimi ſui Mariani Cœtus numerum hoc anno cælo præmittit S. Maurus noſter, centum quatuordecim, intra breve tempus morte ſublatis, cujus ille præſcius inſigniter eoſdem præparat, Pſalterij utique fructum paulò poſt deguſtaturos, cui ſub tanto Doctore tam feliciter adſueverant.
583.	103.	Sequitur ſuos primus & præcipuus Pſalterij Mariani per ampliſſimum Galliarum Regnum Prædicator S. Maurus, lugente Patrem Rege, Regnique Ordinibus univerſis, cui poſt S. P. N. Benedictum debetur præcipuè, tanto cum fructu cultûs Divinæ Matris tam longè ac latè propagatus, ut ipſi uſque hodie plurimùm debeant qui virginum Virginis ſtudent caſtis amoribus, eoſque imprimis venerantur, qui Tutelaris ſuæ honorem enixius ac felicius promoverunt.
583.	103.	Moritur eodem anno S. Martinus Bracarenſis Epiſcopus S. P. N. Diſcipulus, qui quod Maurus in Gallijs, ipſe in Hiſpanijs Pſalterium B. M. V. fidelibus ferventiſſimè commendavit, eoque nomine Hiſpanias æternùm demeruit. Idem collectione canonum meritiſſimus, & alter Hiſpanorum Apoſtolus habitus.
585.	105.	Clarent eximiâ vitæ ſanctitate nobiliſſimæ Romanæ Virgines, SS. Romula, Redempta & Herûndo, quæ cum beatiſſimus Legislator noſter ſuperſtes etiamnum præcipuis urbis Ba-

Ann. Chr. | S.F.N. |

silicis Cœnobia adjunxisset; & cultum Deiparæ magno studio Romæ propagasset, hujus eximio amore raptæ, eidem magnæ Matri in præcipuas ejusdem S. Mariæ Majoris Basilica sese devoventes, purpuram cucullo mutârunt, ubi & sepulturam meruerunt quarum sacra ossa juxta cultum Reginæ Cælorum, illic à fidelibus religiosè frequentantur.

587. 107. Moritur hoc anno, ut nonnullis placet, nobilissima illa Galliarum Regina S. Radegundis nostra, potentissimi Regum Clotarij quondam Conjux lectissima, quàm tamen diutius superstitem in cucullo, hoc maximè anno effloruisse arbitramur. Cujus memoranda erga Deiparam devotio. cùm in honorem ejusdem tantæ Matris peculiarem ipsa quadragesimam jejunaret, æterna cum gloria & merito, quam deinceps multi egregia sanctitate & pietate viri ac fœminæ in hoc ipso colendæ Dominæ obsequio, religiosissimè sunt imitati.

588. 108. Gallias famâ implet, meritisque immortalibus demeretur, magnus ille Cælitum Imperatricis Domesticus & familiaris, S. Noster Gregorius Turonensium ex Monacho Pontifex, cui insigni prodigio ad templum Deiparæ properanti, portæ cæteroquin occlusæ sponte patuerunt, ubi lucem miram & Angelos intueri meruit.

589. 109. Vitâ defungitur sub hoc tempus S. Brandanus Abbas, Dominæ nostræ longè devotissimus, cui magnæ Apostolorum Reginæ, strenuus hic Indiarum Apostolus, domum redux, septuennem suum laborem consecravit, librumque quem de sua peregrinatione scripsit ejusdem virginum Virginis aræ imponens, voce cælo delapsâ ad coronam æternitatis vocatus, mox ad altare idem sacro facto & solemniter decantato, eoque absoluto, felicissimâ morte decessit.

590. 110. Hunc primum annum Radegundis morte insignem, celebriores Galliæ Scriptores memorant, quæ optima & sanctissima Regina in servitio Dominæ depræhensa, cum in ejusdem struenda augustius Basilica laboraret, suprema hæc collegis Monialibus mandata dedit, ne alio se loco, quàm in augustissimæ

simæ Tutelaris suæ templo, etsi necdum absoluto sepelirent.

Mortuo hoc anno Pelagio nostro Romano Pontifice, succedit magnus ille nominis Mariani cultor & propagator, Doctorum Ecclesiæ Maximus Gregorius, S. P. N. Cognatus & Alumnus felicissimus, cujus magnitudinem utero etiamnum latentis, Sylviæ Matri ad se invisenti, idem Legislator & Patriarcha noster prodidit. Gregorius autem Pontificatûs initia auspicatissima, suo erga Deiparam cultu, & vicissim ejusdem patrocinio meruit, cum vix adito summo honore afflictissimam peste urbem liberari impetravit, septiformique Litaniâ instituta, sui amoris insigne Deiparæ imaginem manibus publicè præferens, Patrem æternum facilè placavit, Angelis Reginæ suæ, novo ad eam diem inaudito cantico, audiente universo populo, acclamantibus: *Regina Cæli lætare Alleluja: Quia quem meruisti portare Alleluja: Resurrexit sicut dixit, alleluja.* Subjungente mox Gregorio, quod universi usque hodie usurpamus: *Ora pro nobis Deum Alleluja.* Cessit quam primum tota aëris infectio, visusque supra Adriani molem Angelus Domini nudatum gladium vaginâ recondere.

591. | 111. Bavariam immortaliter demeretur magnus Boiorum Apostolus S. Rupertus noster, Theodone ipso Gentis Principe ad fidem converso, & salutaribus undis expiato, qui Gentium Triumphatrici Ruperti consilio Trophæum illico statuit, insignem Basilicam B. M. V. OEttingensem in hodiernum usque diem, miraculorum famâ & confluentium peregrinorum frequentiâ celeberrimam.

592. | 112. Moritur sub hoc tempus S. Theodorus noster, sive Theudarius Abbas, qui propagante per Gallias Ordinem cum cultu Deiparæ S. Mauro nostro, omnes suas opes seque ipsum Deo ac Deiparæ consecrare statuens, eam à Numine gratiam meruit, ut locus ei divinitùs monstraretur, ubi juxta Cœnobium Basilicam magnæ Matri ac Virgini moliretur, cujus denique Abbas effectus, cum Dominæ suæ ejusque familiæ fideliter servisset,

Ann. Chr. S.N.P. viisset ad illius optatissimos amplexus & palatia æterna emigravit.

593. 113. Magnus Gregorius noster S. Leandrum ex Monacho Hispalensem Episcopum litteris compellat, aliaque inter benevolentiæ signa æternam amoris Benedictini Tesseram Beatissimæ Matris Virginis imaginem à S. Luca Evangelistâ pictam eidem dono mittit, munus Leandro tantæ Matris amantissimo, longè pretiosissimum charissimumque. Colitur illa etiamnum in Guadalupensi celeberrima Beatissimæ Matris Virginis Basilica, miraculorum ingenti gloria illustrata, & incredibili concursu fidelium frequentata, ut hanc quoque gratiam post Deum ac Deiparam, Hispania, Europa, imò orbis Christianus nostris debeat, quorum instituto Augustissimæ Cælorum Imperatricis potissimæ, ut ita dicam Residentiæ, frequentari cœperunt, & tantorum proculdubio etiam intuitu cultorum & cultûs Promotorum, miraculis commendari, durante in hodiernum beneficiorum innumerabili in ægros afflictosque perpetuâ effusione.

594. 114. Hoc & superiore anno sepositis nonnihil curis cum Matrem Benedictam nunquam non demereretur, Patrem etiam Benedictum impensiùs honorare studens tantus Pontifex & Doctor Gregorius, tanti Patris vitam toto libro complexus, Benedictam in Benedicto insigniter honoravit, etsi Psalterij Mariani non meminisset, quod totus cæteroquin Orbis loqueretur, & multa iam millia Sanctorum Benedicti alumnorum, in omnes orbis provincias circumferrent.

595. 115. S. Rupertus Boiorum Apostolus, cum lectissimam sororem suam S. Erentrudem condito à se Salisburgensi Virginum Cœnobio præfecisset, sub hoc ferè tempus adiunctam eidem Cœnobio insignem B. M. V. Basilicam ad supremum deductam solemniter consecrat, præcipuas ferè & imprimis Cathedralem eiusdem honori & nomini nuncupans, cui nimirùm tanquam Reginæ Apostolorum, Apostolatum suum consecrandum statuisset, omnesque labores dedicandos.

Mo-

Ann. Chr. S.P.N.

596. 116. Moritur sanctissimus ille noster Turonensium Pontifex Gregorius, Deiparæ dilectissimus, ut amantissimus, cujus ipse Reliquias præcipuo cultu veneratus, collo secum perpetuò circumtulit, & Matrem gratiæ, quibuscunque poterat obsequijs, celebrare non destitit, relictis magni ingenij maximis monimentis.

597. 117. Singularem Divinæ Matris cultum æstimes velim sub hunc annum à solo Virginum nostrarum numero, quæ in sola Romana urbe liberalitate magni Gregorij alebantur, quarum principes paulò ante ad S. MARIAE Majoris Basilicam consedisse memoravimus, at quæ illato illuc patrimonio Cœnobiū augentes, sumptu cōmuni vixerint; aliarū ad tria millia in urbe pavisse Gregorium constat, de quibus ita ipse: *Harum vita*, inquit, *talis est, & tantùm lacrymis & abstinentiâ districta, ut credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrûm jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuissent &c.*

598. 118. Sub hunc annum vel paulò ante decessit magnus ille Neapolitani Regni Divus Tutelaris, hostium Triumphator prodigiosissimus S. Agnellus Abbas, qui Deiparæ Virginis totus in omni vita fuit, ejus, ut ex vita constat, dono natus, cujus etiam corpus B. Fortunatus Episcopus Neapolitanus in Basilica Deiparæ condidit, ut cui in vita debebatur, à morte quoque redderetur.

599. 119. Gregorius uti nullo anno cultum Virginis virginum deseruit, sic neque ipsa ejus oblivisci potuit cum Divæ Matris Basilicam ad Nives ornare & honorare non desisteret, ubi aliam ab illa, quam S. Leandro miserat, pictam à Luca ejusdem imaginem deposuerat, ad quam cum sacris operaretur, insigni Cælitum favore honoratus est: cum enim solemne illud: *Pax Domini sit semper vobiscum*, intonaret, auditi sunt Cœli Spiritus Symphoniacorum vicem excipientes: *Et cum Spiritu tuo*, festivis vocibus accinendo. In cujus rei memoriam perpetuam quoties ibidem Summus Pontifex ad aram facit, à Clero ad ea verba nihil responsi reponitur.

Ann. Chr. | S.P.N

600. 120. Fulgentissimum illud Hyspaniarum Sydus S. Fulgentius noster Astygitanus Episcopus occumbit, Deiparentis Virginis amorem æternum meritùs, cum Leandrum atque Isidorum, nec non Florentiam sororem, omnes Divi Benedicti Ordinem Professos studia erga Matrem & Patronam Ordinis etsi studiosissimos vincere adlaboraret. Propugnavit honorem Dominæ adversum Arianos imprimis, convocato multorum Episcoporum & Principum Synodo, interque alia opera & præclarè gesta, librum insignem scripsit de Fide Incarnationis, alijsque quæstionibus, cujus funus Recaredus ipse Rex honorificentissimè celebravit, in cujus conversione Fulgentius cum Leandro Fratre strenuam operam navavit. Fundationem celeberrimi Monasterij B.M.V. Trudpertini molitur hoc anno Otpertus Comes Habspurgius ad instantiam S. Trudperti Monachi & Martyris, germani fratris S. Ruperti, & verò etiam hoc ipso anno exequitur, Ecclesia ad honorem Deiparæ & SS. Apostolorum Petri & Pauli dedicata, quo antiquissimo monumento, & supra omnia Germaniæ Principum, ipsâ antiquitate spectatissimo, Austriacorum Principum nomini, non minùs à Numine ac Deipara gratiæ hucusque evenisse, quàm famæ & gloriæ, tam remota ac certa prosapiæ cum pietate deductione accessisse, vicinæ æquè Galliæ quàm Germaniæ fit manifestum.

601. 121. Moritur sub hæc tempora S. Machutes, sive Maclovius, Alethensis Episcopus, S. Brandani Abbatis discipulus & Indicæ peregrinationis seu navigationis septuennis socius, vir sanctissimus & devotissimus, magistri exemplo, Deiparæ; oculatus ipse testis, magni illius à Deipara, sive ejus patrocinio favoris, cùm Brandanum Magistrum, Navigationis prædictæ librum magnæ Matri dedicantem, & ad aram cum sacrificio Missæ offerentem, pietatis Mater piè remunerata, illicò, Sacris peractis, ad mercedem æternitatis evocaret atque assumeret. Cujus etiam honori posteà Alethensem Episcopatum nuncupasse, primus ipse Episcopus videtur, & multo alio nomine

Domi-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Dominam demeruisse, quæ tantopere labores illos suorum probaverat.
		Superstes etiamnum, incertum, quo anno mortua S. Florentina Regij generis Virgo & Abbatissa, SS. Fulgentij, Isidori atque Leandri nostrorum Germana, Hispanias famâ implet, millium, & ut nonnemo scripsit, decem millium virginum, quadraginta in Cœnobia distributarum, Mater lectissima, Fundatrix, certè Institutrix Monasterij B.M.V. dicti: *Nostra Domina de Valle.* In quo solo trecentas Marianas Virgines aggregavit. Fuit autem tantopere erga Divinæ ex Virgine Incarnationis Mysterium affecta, ut quod Judæi illud negarent, non vereretur fæmina, Dominæ suæ honorem propugnandum suscipere, & rationibus adversum scelerata impiorum dogmata & calumnias tueri.
602.	122.	Gallias vivens, & à morte Europam universam demeretur S. Leonardus Abbas Novalitiensis, multorum olim, innumerabilium deinceps afflictorum Solator, Redemptor captivorum, quorum anathemata toto terrarum orbe, per tot Ecclesiarum & Sacellorum millia ipsius miraculis fidem faciunt. Fuit Dominæ nostræ amantissimus, cui perpetuò servijt, structâ primum in honorem ejus Ecclesiâ & Cellulâ cui se inclusit, quæ posteà crescente discipulorum numero, in verè nobile Nobiliacense Cœnobium crevêre, ipso primo ejusdem Abbate constituto.
		Magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius alia inter præclarè instituta illo insuper Cæli Reginam Cælosque ac terram immortaliter sibi obstringit, quo Adventus Dominici solemne jejunium instituit, & Partum Virginis tantâ præparatione prævenit.
603.	123.	Relictis terris Cœlo immigrat magnus ille Hispaniarum Tutelaris, & alter Apostolus Hermenigildi & Recaredi Regum ab Arianismo conversione celeberrimus S. Leander noster Hispalensis Episcopus, magni Gregorij Ecclesiæ Doctoris amicissimus, & in colenda Deipara pieæmulus, cultusque Mariani apud Hispanos in Guadalupensi maximè Ecclesia propagator

Ann. Chr. | S.P.N. | gator æternus, relictis magni ingenij præclarissimis monimentis, libris duobus, quibus Arianam Hæresim Deiparenti infestissimum felicissimè profligavit.

604. 124. Magno Ecclesiæ Doctori Gregorio supremus hic annus, qui nonnisi annum unicum amicissimo suo Leandro superstes, ad æterna Palatia ipsum consecutus est; Virginem & Filium Virginis immortaliter demeritus, memorabili zelo, præter tot præclarè gesta, cultu Cælorum Reginæ promoto & dilatato, ut mirum non sit extraordinarijs etiam favoribus à mundi Domina fuisse honoratum, cujus tantæ Imperatricis imago etiamnum Romæ visitur in sacra ejusdem æde propè Hospitale S. Joannis Lateranensis, quæ ipsum dicitur familiariter allocuta. Creditur idem Gregorius Author primus Missæ B. M. V. in Sabbatho, cujus etiam Mariani amoris æternùm manet apud fideles symbolum, condolentissimus ille Matri Virgini Rithmus: *Stabat mater dolorosa &c.* & plurima alia ejusmodi monimenta. Quem tantum Doctorem præstantissimus ille Angliæ Rex Edilbertus, haud immeritò: *Immensum Thesaurum, qui generis humani maximam partem cælo lucrifecerit*, appellavit. De quo vivente etiamnum magnus Isidorus: *Organum Spiritus Sancti*, inquit, *per cujus gratiam tantùm scientiæ lumine præditus evasit, ut non præsentium modò temporum, quisquam Doctorum, sed nec in præteritis ipsi par fuerit unquam &c.*

606. 126. Immortali merito demeretur Hispaniæ Regna magnus Deiparæ cultor S. Isidorus noster, qui Mahometem Pseudoprophetam Deiparæ & Christiani nominis hostem, ejusque nequitiam primus agnoscens, ipsum è Regnis illis eliminavit, monente ipsum Diabolo, Isidorũ fugeret, & Hispanijs quamprimùm pedem efferret.

607. 127. Ad Petri Cathedram evehitur S. Bonifacius IV. Pont. Max. ex Monacho S. Sebastiani in urbe, qui Benedictino-Marianæ pietatis vix adito Pontificatu insigne monimentum statuit cum Pantheon vetustissimum Romanæ Magnificentiæ delubrum ab antiquæ sordibus Idololatriæ Purgatum, Augustissimo Dei-

paræ

Ann. Chr. S.P.N. paræ nomini & honori consecravit, & illatis Sanctorum Martyrum Reliquijs, S. MARIAM ad Martyres appellavit.

609. 129. Moritur egregius ille Anglorum Apostolus S. Augustinus, primus Cantuariæ Archiepiscopus, magni Gregorij Discipulus, Cultûs Mariani Propagator eximius, plurimis per Regnum illud Cathedralibus, alijsque Basilicis, Monasterijs, Sacellis, Aris, Reginæ Cælitum, exstructis & dedicatis, quibus Anglorum pietas Angelorum reverentiam imitata, mundi Dominam ingenti deinceps devotione coluit, & verò etiam experta est Regni potentissimam fuisse Tutelarem.

610. 130. S. Bonifacius IV. Cælorum Augustæ insignem illam in terris Regiam, Toletanam Ecclesiam Primatûs dignitate exornat & S. Helladium nostrum ejusque Successores, Metropolitani nomine cohonestat.

611. 131. Claret eximiâ sanctitate Illustrissima Princeps, Hannoniæ Comitissa S. Waldetrudis nostra, quæ terribilem illam ut Castrorum aciem ordinatam, Castrilocensi sub ejusdem invocatione condito Cœnobio insigniter demeruit, in quo etiam ejurato sæculo, tantæ se Dominæ emancipavit, & ad mortem usque servijt, etsi Mariano illi cætui deinceps præfecta.

612. 132. Passus est sub hunc annum S. Anastasius Persa, egregiâ sanctitate Monachus, Divinæ Matris Cultor devotissimus, cujus tanquam Reginæ Martyrum patrocinio ac dono assequutus videtur Martyrij Lauream, cum in Basilica ejusdem biduum totum in preces effusus, eam gratiam quàm enixissimè exorasset.

613. 133. Germanias illustrat, sanctitate & magnis meritis obligat S. Gallus Abbas, Regum Scotiæ sanguine oriundus, qui honori Virginum Virginis cùm apud Brigantinos, tum apud Helvetios plurimùm consulit, egregio imprimis & celeberrimo ad illius honorem condito Cœnobio, quod à Conditore posteà S. Galli est appellatum, & tam illius quàm hujus cultu Religiosissimo, inter tot allatrantia Cerberi capita ferventissimum,

Ann. Chr.	S.p.N.	
		Patrocinio utriuſque florentiſſimum, & inter Europæ ſpectatiſſima ſemper habitum.
614.	134.	Floret S. Godoberta S. Eligij noſtri diſcipula, quæ cùm templum Beatiſſimæ Virginis incendio correptum intelligeret, ut ægra erat, flammis ſeſe exponens, eas prodigioſiſſimè illico extinxit, eoque Tutelaris ſuæ domum ſervavit, Matrem familias demeruit, quæ Godobertam ſuam eo incendio illuſtrari voluit, quod ipſa avertere & extinguere facillimè potuiſſet.
615.	135.	Extinguitur in terris inſigne hoc anno Sydus, ut cælo illuceſcat S. Salvius Ambianenſis Epiſcopus, qui virginum Virginem juvenili ætate jam adamans, hæredem ex aſſe, ac ſemiſſe ſcripſit, & æternùm ſui amoris condens monimentum, ejuſdem magnæ Matris honori ac nomini illuſtre Monaſterium fundavit, in quo etiam ſeipſum relicto ſæculo tantæ Dominæ emancipavit, ab ipſo poſtmodum Numine Ambianenſium Pontifex deſignatus.
		Obijt eodem anno B. Glodoſindes illuſtriſſimo nata genere, Wintronis Ducis Filia, Obeleni Principis Virgo Sponſa, Deiparæ addictiſſima, ſuum erga eandem amorem etiam à morte conteſtata; cum condito Cœnobio, cui & Abbatiſſa ipſa præfuit, immaturius prærepta, Virgini cuidam apparens locum deſignaſſet, quo Aram Cæli Reginæ exſtrui vellet, eoque lapidem jactaſſet.
617.	137.	Clarent ſub hunc annum SS. Placidus & Sigisbertus, hic Diſertinenſis in Rhætia celeberrimi Cænobij Abbas, ille Conditor, uterque Deiparæ addictiſſimus. Sigiſbertus namque ſtructo inter deſerta illa in honorem Tutelaris ſuæ Oratorio, & mox vilibus ob confluentes diſcipulos caſis & cellulis, potentem poſtea Patronum hunc Placidum nactus eſt, qui inſigne cum Baſilica Cænobium ibidem Beatiſſimæ Virgini condidit, ſeque etiam ipſum eidem illic emancipans, coronam denique Martyrij promeruit. Abſciſſum à cervicibus caput, ſuiſmet tollens manibus, & ad Abbatem ſponte conſonantibus Cœnobij campanis, deferens, qui caput cum trunco in ejus quàm

unicè

Ann. Chr.	S.P.?	
		unicè dilexerat Dominæ suæ Basilica sepelivit.
618.	138.	Supremus hic annus magno Cultûs Mariani Promotori S. Bonifacio IV. Pont. Max. cujus præclarè gesta cùm in Annalibus nostris, tum Aquila Imperij Benedictina prolixiùs commendavimus.
619.	139.	Eximiâ sanctitate fulget S. Erentrudis Regij sanguinis Virgo, S. Ruperti Bojorum Apostoli germana Soror, beatissimæ Virginis in monte Monialium Salisburgi, illustri Cænobio prima Antistita, quam frater sanctissimus recèns à se condito in honorem unicæ Tutelaris Monasterio ipse præfecit, quæ & Mariano illi cætui sanctissimè præfuit, & maximis virtutibus & miraculis effulsit, cultus Mariani non minùs inter Virgines suas Promotrix, quàm Germanus per amplissimas Regiones, quorum devotionem erga magnam Matrem Salisburgenses se usque hodie retinuisse quotidianis argumentis piè comprobant, demonstantque.
620.	140.	Moritur S. Fiacrius noster, Eugenij IV. Scotorum Regis Filius, qui patre & patriâ desertâ, nihil in mundo quæsijt, quàm locum, ubi à turbis liber, Divinis ferventiùs securiùsque vacaret. Quem cum in Gallijs reperisset, sui erga Deiparam affectûs monimentum æternum statuit erigere, illustre tantæ Matris nomini Cœnobium conditurus, probante grandi miraculo hanc erga Cæli Reginam pietatem, Virginis Filio, cùm enim Fiacrio Meldensis Episcopus non plus agri concederet, quàm propriâ manu terram fodiendo Vir sanctus fossa circumdaret, Fiacrius solum Scipionem manu trahens, illud prodigiosè meruit, ut quacunque incederet, sub baculo quamprimum terra dehisceret, profundam foveam aperiret, & nemus illico funditus corrueret. Quo dein loco insignem cætum Marianum congregavit, & magnis clarus miraculis quatuor quandoque mortuos simul semelque vitæ restituit.
622.	142.	Claret S. Amatus noster, Romanæ nobilitatis ortus parentibus, qui celeberrimam illam honori magnæ Matris Basilicam, cum adjacente Cœnobio in monte Romarici condidit,

Ann. Chr.	S.P.N.	
		cujus etiam posteà curam Abbas gessit, servus Domesticorum Deiparæ factus, Dominæ suæ humilitatem strenuè imitatus, & tantopere ejus Majestatem reveritus, ut in propria à se illius honori condita Basilica sepeliri nollet, sed in aditu tantùm ejusdem cum titulo Amati pœnitentis, tumulari.
623.	143.	Cælo immigrat terror ille Regum, multorum Cœnobiorum Conditor, & Reformator S. Columbanus, quæ, si non omnia, pleraque Cœlitum Imperatrici sacra voluit, suosque descipulos non solùm, sed totas provincias in cultu Deiparæ ferventes reddidit, cujus tanti erga Dominam nostram affectûs, usque hodie perennia, cùm per Germaniam & Galliam, tum etiam per Italiam extant monimenta.
		Moritur meritissimus Bojorum Apostolus S. Rupertus noster, qui omnem sanè Bavariam cum Deo & Ecclesiæ immortali meritò jungens, omnem non minùs Deiparæ lucratus est & devotissimam reddidit, cujus tanti Patris imitatione Principes dein ac Pontifices amplissimam provinciam, quæ tunc Austriam quoque Styriam, Carinthiamque complectebatur, templis & cætibus Marianis implevêre, & peculiarem Boicæ Tutelarem ac Matremfamilias meruêre.
624.	144.	Iterùm magnus Mariani cultûs preco cælis immigrat S. Mellitus noster, qui cùm Cantuariensem Archiepiscopalem Deiparæ Basilicam grandi incendio conflagrare conspiceret, aliquando, illico Cælum pulsans precibus, consopiri incendium impetravit, & prodigiosè Ecclesiam servans, eidem deinceps magna sanctitate decus insigne addidit.
627.	147.	Claret tanquam illustris facula nobilissima virtute & genere sancta Hunegundis nostra, quæ præter voluntatem à parentibus desponsata, sponsum piè eludens in Monasterio B. M. V. Humolariensi Deo ac Deiparæ se consecravit, quàm ante altare Tutelaris tantæ procubuam, cùm sponsus ad necem ipsam quærens reperisset, mirè mutatus supplex ad ejus pedes accidit, etiam non sponsum, sed servum se professus, bona sua omnia

seque

Ann. Chr.	S.P.N.	
		ſeque ipſum Deiparæ eodem in loco conſecravit, & ab Hunegunde ibidem à morte ſepeliri meruit.
628.	148.	Memorabili exemplo relicto ampliſſimo Auſtraſiæ Principatu Deo ac Deiparæ ſe conſecrans in Monaſterio B. M. V. Treverenſi includit S. Doda, Arnulphi Auſtraſiorum Ducis Conjux lectiſſima, ubi Dominæ ancillis adjuncta, imò ancilla ancillarum facta, Reginam illam, Ancillam, ut ipſa vocabat Domini, Domina hæc ſtrenuè imitata, dignam æternis ejus Palatijs, ſe reddidit, in quo & Virginis Filio benè complacuit, qui & ipſam magnâ ſanctitate exornavit.
630.	150.	Moritur S. Juſtus Roffenſis primùm, Cantuarienſis deniqùe Epiſcopus, magni Gregorij diſcipulus, in Schola Mariana Magiſtratum & Doctoratum indeptus, cujus ſuæ eruditionis & amoris Mariani egregia ſpecimina edidit, & monimenta per Roffenſem maximè Eccleſiam reliquit.
631.	151.	Germanias famâ implet magnus ille Tungrorum, Eburonum, Brabantorum, Flandrorum, Alſatarum &c. Apoſtolus S. Amandus ex Ogienſi Monaſterio ad converſionem gentium progreſſus, Tungrorum Epiſcopus, cujus erga Deiparentem affectum, plurimæ per tot eaſque ampliſſimas provincias magnæ Matris honori ſacræ Baſilicæ ejus operâ erectæ poſteritati commendant.
632.	152.	Demeretur maximis beneficijs ſuperiorem Germaniam, Almangaviam imprimis & vicinam Sueviam S. Magnus Abbas, in Füſſen ad alpium Juliarum fauces, qui magnæ Matris honori inſigne Cœnobium & Baſilicam ad Lycum amnem condidit, eoque Lycatios Vindelicos, Almangovios, alioſque ad tantam Apoſtolatûs ſui Reginam ſtrenuè laudandam atque devotè colendam invitavit. Cujus in hodiernum uſque diem illuſtriſſimum ſupereſt Mariani hoc cultûs monimentum.
634.	154.	S. Oſvvaldus noſter Wigornienſis Epiſcopus ſub hunc annum multò illuſtrius edens ſui erga Deiparentem affectûs argumentum, Cathedralem Baſilicam ejuſdem ſacratiſſimo Nomine

Ann. Chr. | S.P.N.

mine exstruit, nuncupat, consecratque totius Diœceseos Virginum Virginem Tutelarem adoptat.

636. 156. Hispanis omni sole illustrior lucem præfert sanctus & ferè magnus Isidorus ex Agaliensi Monacho Hispalensis Archiepiscopus, qui Dominæ nostræ non minus amans, quàm Germani Fratres Leander & Fulgentius, hostium maximè Marianorum acerrimum se hostem & potentissimum demonstravit; perniciosissimarum Hæresum Arrianæ atque Acephalitarum felicissimus debellator.

638. 158. Moritur hoc anno modò nominatus S. Fulgentius Episcopus Astygitanus, cujus Mariani amoris, alia inter æterna tessera extat liber insignis ab eodem scriptus, *de Fide Incarnationis*, qui & ipse hostium Deiparæ fuit acerrimus triumphator, & à morte ad statuam beatissimæ Virginis Guadalupensem Germano suo fratri Leandro, à magno olim Gregorio dono missam, sepeliri meruit, quem Astygitani præcipuum sibi Tutelarem elegêre.

639. 159. Gallias mirificè exornat, suisque apud Deum ac Deiparam meritis juvat S. Salaberga Abbatissa, quæ cùm Deiparæ esset amantissima, cujus imitatione cùm nihil mallet, quàm ejus Filio Virginitatis florem illibatum consecrare, coacta à parentibus nubere, Conjuge post alterum mensem extincto, etiam alteri jussu Regis Dagoberti copulata, sanctum Bauonem maritum meruit, inter Palatinos Regis spectatissimum, cujus optimâ voluntate constructo primùm ad Lingonas, dein in urbe Laudunensi beatissimæ Matris Virginis Cœnobio, cùm hujus Abbatissa designata esset, veræ Matrisfamilias, domesticas illic Virgines trecentas congregavit, quibuscum Dominæ suæ ad mortem usque diligentissimè servijt. Quàm cùm cælestium rerum visione Deus non semel mirè recrearet, & illa carne solvi plurimùm desideraret, rapta quandoque ad cælum, hæc à sancto Anserico Episcopo audijt: *Quia*, inquit, *Sororibus adhuc necessaria es, Beata Maria Filium suum deprecata est, ut à Superis celerius reverteris.* Visa tunc quoque miri candoris volucris,

Ann. Chr.	S.P.N.	
		lucris, quæ acceptum à Superis halitum in os Salabergæ copiosè transfudit, ut diffusam in labijs Marianæ hujus Virginis gratiam facilè imagineris.
640.	160.	Moritur hoc anno S. Wasnulphus ex Episcopo Scotiæ, S. Gisleni Monachus, qui quàm gratus Deiparæ esset ex eo patuit, cùm à tanta Domina quasi exambitus, ad Monasterium B. M. V. Condalense à spectabili formâ apparente Angelo deductus est, ibique gratanter susceptus, in ejusdem magnæ Matris cultu & domicilio vitam exegit, meritissimis Germaniæ Apostolis accensus, & in suo Reginæ Apostolorum Cœnobio & sinu requiescens.
641.	161.	Plurima cùm per Germaniam, tum Italiam, Angliam, Galliam, Hispaniam, à nostris excitantur Cœnobia, pleraque Cælitum Reginæ nomini ac honori inscripta, sive illustribus eidem erectis monimentis celebria, quæ inter Weissenburgense, Martianense, Hammaticense, Centulense, aliaque cùm à Josepho, tum alijs Scriptoribus celebrantur.
643.	163.	Debentur sub hunc annum, potentissimi Argentinensis B. M. V. Episcopatûs initia, ferventissimo ejusdem Cultori S. Amando nostro, juvante conatus viri sanctissimi Dagoberto Rege, ipsumque primum loci ejusdem Pontificem designante, ut hæc quoque non tam Episcoporum, quàm Reginæ Sanctorum omnium Cathedra in terris posita, nostrorum ergà tantam Tutelarem devotioni meritò adscribatur.
644.	164.	Moritur hoc anno, imò Cælo nascitur S. Paulinus Eboracensis Episcopus, in sublimiori illa Mariani studij Schola Romæ à magno Gregorio nostro institutus, Cultûs B. M. V. Promotor apud Anglos insignis, cujus honori non pauca monimenta condidit, aliaque inter Lindisfarnensem celeberrimam Basilicam & Cathedram excitavit.
645.	165.	Mortalitati huic valedicit magnus ille Francorum Rex Dagobertus, qui totus à nostris pendens, totus noster, Deiparentem mille modis his suasoribus demeruit, plurima Cænobia & templa ejusdem honori struxit, & eandem supremo conatu,

in ejus-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		in ejusdem amantissimo Divo Dionysio honoravit, celeberrimum illud Cœnobium propè Parisios condidit, cui Basilicam Regiâ sanè magnificentiâ adjecit, & solido argento texit, quàm ipse Rex Regum & Pontifex Christus Dominus, præsente Dominâ nostrâ solemnissimè consecravit, etsi sint, qui hanc consecrationem ad superiorem, alij ad sequentem annum referant.
646.	166.	S. Braulio, magni Isidori nostri lectissimus discipulus Episcopus Cæsar-Augustanus, cultor Deiparæ longè studiosissimus, dies noctesque in nostro B. M. V. de Pilari Templo ac Cœnobio Dominæ suæ seruit, in preces perpetuò effusus. Quàm ipsam Ecclesiam jussu viventis etiamnum Deiparæ, ab Apostolo Jacobo conditam, primam Ecclesiarum Marianarum, nostrorum usui cessisse jam pridem superiùs diximus.
648.	168.	Illustrat Belgium Regij generis Virgo sanctissima, B. Aldegundis nostra, à virginum Virgine, & Filio Virginis singulariter adamata, quæ cùm hujus dignatione Sponsa exambiretur, voce cælesti sic est compellata: *Non alium tibi quæras Sponsum, quàm Dei Filium.* Nec minor Matris Dei dignatio, sua huic novæ nuptæ quasi omnia offerentis, cum è Cælesti Reginæ illius Gynecæo, missam à Dei Genitrice se affirmans quædam Aldegundi occurreret, monendo, *ut, quod vellet*, à tanta Domina *postularet.* Cui Aldegundis, *id unum desiderare se quod Dominus vellet*, respondit. Nec potuit Sponsus, quin ad ipsam spectabili etiam formâ inviseret, & sancto ipsam amore inescaret, quæ cùm coacta à parentibus nubere, objectu fluminis nil impedita siccis pedibus super aquas incederet, ad S. Amandum nostrum recurrens pro velo, cùm hoc ipse consecrasset, à Spiritu sancto, Columbæ specie apparente, cunctis videntibus velum rostro & unguibus tollente & capiti Virginis imponente, velata est.
649.	169.	Sub hoc ipsum ferè tempus eadem lectissima Virgo Aldegundis Malbodiensis Cœnobij in honorem Deiparæ fundamenta jacit, ac structionem absolvit, quod magnâ animi consolatione

tione

Ann. Chr. | S. P. N. tione amantiſſimus Dominæ noſtræ, imò amandiſſimus Amandus, ſolemniter conſecravit.

650. 170. Ad æterna gaudia emigrat hoc anno S. Waldetrudis noſtra Caſtrilocenſi B. M. V. honori condito Cœnobio, etiam in terris immortalis, etſi ſint qui obitum ad annum uſque Chriſti 665. non improbabiliter differant, Mariani deinceps domicilij juxta Dominam ſuam Tutelaris adoptata.

652. 172. Martyrio coronatur hoc, an ſequenti, quod nonnullis placuit, anno S. Irænes noſtra, quæ cùm Deiparæ fideliſſimè ſervijſſet, in Monaſterio B. M. V. propè Villam de Tomar, pro amore caſtitatis crudeliter trucidata Virginis Filio arrham ſponſalitiam in Cælo redhibuit, proprio ſanguine nobilitatam, Sponſo Sanguinum, lacteæ Virginis proli æternis amplexibus ſociata.

653. 173. Hyſpaniam illuſtrat mirificè S. Ildephonſus ſive Alphonſus noſter, Agalienſis Cœnobij Abbas, poſteà Archiepiſcopus Toletanus, Deiparæ ex utero & in utero Matris amantiſſimus, qui libro inſigni tantæ Amatricis ſuæ laudes deſcribit, quem ipſa Cælitum Regina, eo prægnanti Matri prænunciavit, & quantus futurus eſſet Ildephonſus, commendavit.

655. 175. Concilio Toletano, cui præſidet S. Eugenius noſter Toletanus Archiepiſcopus, & præcipui ex Ordine noſtro Pontifices & Patres aſſident, ſtatuitur celebrandum ſolemniter Annunciationis B. M. V. feſtum; octavâ die ante ſolemnitatem Dominicæ Nativitatis, cujus in hodiernum diem ſolemnis eſt apud Hiſpanos memoria & Religio.

656. 176. Claret eximiâ vitæ ſanctitate S. Irmina noſtra, Dagoberti Regis filia, cujus illuſtriſſimum eſt amoris Mariani monimentum, celeberrimum in urbe Treverenſi Monaſterium, quod ipſa B. M. V. Horreum voluit appellari, & ipſa Horrei Magiſtra, & frumentum Dominæ lectiſſimum facta, plurimos illic frugum manipulos eidem Reginæ ſuæ congregavit, & Cælo deniqùe intulit.

657. 177. Sub hunc annum meminit nonnemo S. Ildephonſum mi-

Ann. Chr. | S.P.N.

rabili sanè invento, & amoris dictato instituisse triduanas ante Assumptionis B. M. V. festum, Litanias, non aliter atque Ascensio Domini antiquo Ecclesiæ ritu, triduo Rogationum prævenitur. Quod ipsum majore posteà auctoritate Archiepiscopus fecit, & Dominam suam ingeniosus Amator mirificè demeruit, & amantibus usque hodie stimulos addens, facem prætulit. Quem nonnulli hoc anno Episcopali honore sublimatum volunt, quos in Annalibus nostris Benedictinis sequuti sumus.

659. 179. Illustrat Belgium S. Ursmarus, ex Laubiensi Monacho Episcopus, qui Malbodiense B. M. V. Cœnobium, ejusque sanctissimam & Deiparæ amicissimam Abbatissam Aldegundem impensius coluit, cui neptem suam in Deiparæ obsequio educandam commendavit, & gravi quandoque morbo laborantem, prodigiosè curavit. Idem plura inter alia templa ac Cœnobia quæ condidit, auctor etiam videtur Oratorij beatissimæ Virginis Matris in vertice montis Laubacensis, ad cujus radicem Monasterium ejusdem adjacet.

Cœlum ingreditur eodem anno sanctissima Princeps Virgo & Abbatissa, Diva Gertrudis Pipini Brabantiæ Ducis Filia, quæ Dominæ suæ honori ac nomini insignem Basilicam condidit, & ætatis anno 33. moriens prodigiosam Virginitatis fragrantiam à morte omnium naribus affudit.

660. 180. Hoc, circiter anno S. Landelinus triumphans cælos invehitur, celeberrimi illius B. M. V. Crispiniensis Cœnobij Conditor & Abbas, grandibus deinceps prodigijs commendatâ fidelibus ejusdem sanctitate.

Floret eximiâ sanctitate S. Baldricus Abbas, Sigeberti Austrasiorum Regis filius, Dagoberti Nepos, qui bina Ordinis nostri Cœnobia condidit, Virginum alterum, in honorem Matris Virginis, in quo tantæ Dominæ sororem suam S. Bonam obtulit, & Abbatissam præfecit. Ipse alterum in monte Falconis incoluit, ad quod à morte translatus, magnis miraculis effulsit.

Extra-

Ann. Chr. S.P.N.

662. 182. Extrahitur è Cœnobio Agalliensi sanctissimus Abbas Ildephonsus, & Toletanæ Cathedræ imponitur, qui nihil priùs habuit, quàm Dominam suam, pro sui quoque honoris incremento honorare, & triduum illud, de quo superiùs, Rogationum ac Litaniarum Marianarum, auctoritate Pontificali fidelibus indicere, & solemnitati Assumptionis ejusdem præmittere.

Moritur eodem anno magnus ille Virginis Benedictæ Amator & amatus Amandus, multarum Gentium Apostolus, Marianarum Congregationum aliquot parens & Institutor, cujus virginea caro sexto-decimo post obitum anno adeò reperta est incorrupta, ut barba etiam & ungues excrescerent, extractisque ex ore religionis ergò dentibus, roseus juxta sanguis effluerет.

663. 183. Calense illustrissimum, & illustrissimis Principibus Deiparæ Ancillis usque hodie frequens Cœnobium à sanctissima Regina Galliarum Bathilde honori & nomini Deiparæ conditur, ubi humilem Ancillam ancillarum Dei Matris tanta Regina omnibus numeris absolutissima humilitate adhibens tanta evasit, ut supra omnem Regum erecta gloriam Sanctorum albo adscripta, Regibus universis summa sit usque hodie in veneratione. De cujus felicissima ad cælos invitatione & cultu Deiparæ ulteriùs dicemus suo loco.

664. 184. Moritur sanctissima Virgo & Abbatissa Aldegundis, Augustissimæ Cælitum Imperatrici dilectissima, cujus mortem prævidit beatissima ejus Soror Waldetrudis (cujus mortem nonnullorum calculo ad annum 650. suprà retulimus) apparente cum agminibus Dei Genitrice, quæ Germanam ejus charissimam ad Superæ Aulæ Palatia lætabunda deduceret.

665. 185. Melius ad hunc annum mors S. Waldetrudis refertur, cum Bucherij calculo exquisitiorique indagini magis convenit, quàm superiùs jam satis à Dominæ nostræ cultu commendavimus, non minùs ipsa tantâ Imperatrice adamata, cujus gloriosissimo conspectu etiam in mortali corpore perfrui meruit,

Ann. Chr. | S.N.P.

tantoque magis ejus amoribus accendi.

Fuit idem annus supremus S. Wandregisilo Abbati, qui patre Waltchiso, Ansegisi Palatij Regij Majoris germano fratre natus ex Ducum Brabantiæ sanguine, omnem generis nobilitatem servitio Christi postposuit, & admirandis in cucullo virtutibus exsplenduit. Fuit magnæ Matris cultor singularis, cique post Deum omnem suam fortunam adscribens, qui ut erat miraculorum gloriâ commendatissimus, Tutelari tamen suæ assignavit, quo minùs à Bethone quodam confoderetur, stupefactâ mox manu parricidæ à dæmonibus arrepti, quem integræ sanitati immerentem reddidit, Cœlitum ob id Reginam veneratus, cui eo ipso loco Basilicam condidit, quotidianis deinceps miraculis, ejusdem proculdubio meritis celeberrimam, Wandregisilo Dominæ suæ honorem latè promovente. Ut iterùm videas templum illustre miraculis, quasi oraculum fidelibus apertum & asylum, è quo tot hucusque in orbem Christianum beneficia emanârunt. Meruit idem Apostolorum Reginæ Palatinus Apostoli gloriosissimum titulum apud Caletenses & vicinos, cujus sacrum Corpus post annos ab obitu quadradinta, repertum est incorruptum.

Sed & Eligium sustulit hic annus Noviomensem Episcopum, Flandrorum, Frisonum & Suecorum Apostolum, Augustæ Virginis Matris amantissimum, qui Principes ferè apud Aldenburgenses, Brugenses, Rodenburgenses, Oostburgenses, & plurimas alias Apostolatûs sui urbes & provincias Deiparæ nomini & honori dedicavit Basilicas, cui vicissim innumeræ ferè hodie totâ Europâ memoriæ passim consecratæ.

666. 186. Demeretur Dominam suam ingentibus meritis magnus Ildephonsus Toletanus Archiepiscopus, propugnato acerrimè divinissimæ Virginis honore, quem hæresis Eluidiana, perpetuâ ejusdem Matris Virginitate irrisâ atque explosâ, nequissimè laceraverat, sed & felicissimè pulsis totâ Hispaniâ Hæreticis, vindicato. Ipse Deiparam miro Epitheto celebrat, appellans: æternitatem virginitatis. Propugnavit idem alio insigni libro

Tute-

Ann. Chr. | S. P. N. | Tutelarem suam, contra Hebræos, eoque & ipsam mundi Dominam, & cælos ipsos, & Cultores Deiparæ in finem usque sæculorum æternùm demeruit.

667. 187. Supremum hunc tanto Doctori annum Baronius alijque assignant, quos & nos olim sequuti fuimus, alijs ad annum Christi 671. referentibus, quod vitaliano Ecclesiæ præsidente promotus ad Archiepiscopatum legatur. (Is autem A.C. 655. Pontificatum inijt.) Cui unanimi omnium consensu novennium cum semestri præfuerit. Videtur proin hoc anno, solemnis illa Deiparæ & S. Leocadiæ gratiarum actio gratiosissima Alphonso facta. De ista sic Breviarium S. Leocadiæ solemni die, frequentissimo tunc populo audientibus & videntibus universis rem compendio describit: *Ipsâ die, Alphonsus ad sepulchrum beatæ Virginis illius accedens, flexis suppliciter genibus precabatur. Et ecce reserato repente sarcophago*, (lapide, quem vix triginta valentissimi homines loco movere potuissent, ablato) *Leocadia Sanctissima prodijt, videntibusq; cunctis & audientibus, Alphonsi merita de Virgine* MARIA *commendavit, dicens: O Ildephonse per Te vivit Domina mea, quæ cæli culmina tenet, & Præsule commendato redibat. Alphonsus ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Recesvinthi Regis gladiolo, velaminis partem, quo caput Leocadiæ tegebatur, resecuit, eamq; cum Regio simul cultro, celebri pompâ in Sacrarium intulit, ubi usque hodie servatur.* Ita Breviarium. Inclyta prorsus illustrisque legatio, sed non contenta vocis præconio alienæ Virginum Virgo, ipsi non multò post pugili suo aparuit, & honoris sui vindicem suâ præsentiâ commendatione, & cælesti donario honoravit, ipso Annunciatæ Virginis pervigilio, ad quod se multis precibus, vigilijs & jejunijs sanctus Pontifex præparaverat. Quem in Cathedra ejusdem confidens cæli Imperatrix in ipso Archiepiscopali templo his verbis affata est: *Propera in occursum serve DEI charissime, accipe munusculum de manu mea, quod de thesauro Filij mei tibi at uli. Sic enim tibi opus est, ut benedictione tegminis, quæ tibi data est, in meo tantùm servitio utaris. Et quia oculos fidei fixos*

Ann. Chr. | S.P.N. | *in meo semper servitio tenens permansisti, & laudem meam diffusa in labijs tuis gratiâ dulciter in cordibus fidelium depinxisti, & vestimentis Ecclesiæ jam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuarijs meis cum alijs servis Filij mei lætaberis.* Quibus dictis evanuit, Casulâ cælesti nitore candidissimâ in manibus ejus relictâ.

668. 188. Gallias illustrat S. Condedus Fontanellensis Cænobij Monachus, qui prædicandi Evangelij causâ à suo Abbate impetratâ licentiâ Clodoveo Regi cælesti voce commendatus, jussus quæ vellet petere, Baslinnacensem Insulam petijt, quam pro suo in Deiparam eximio studio eidem consecravit, & Basilicam B. V. struxit, ubi cum socijs Dominæ suæ vigilantissimè servijt, & magnis miraculis effulsit.

669. 189. Bertilla seu Bertilia prima Calensis Regij Monasterij Abbatissa, magnâ virtutum famâ Gallias implet, eo vocata ex Jotrensi Cænobio, cùm illud ad honorem B. M. V. Bathildis Regina exstruxisset. Præfuit Mariano illustrissimo sanè Cœtui annos sex & quadraginta, tanti ab omnibus facta, ut potentissimæ Reginæ & Principes, illic Reginæ Reginarum, Virginum Virgini gestirent atque exambirent emancipari, & Bertilla à morte, Princeps post Deiparam loci Tutelaris adoptaretur.

670. 190. Felicissimè in Domino requiescit Beatus Hildevertus Meldensis ex Monacho Luxoviensi Episcopus, qui Dominæ nostræ nomini & honori insignem condens Ecclesiam, sui erga eandem affectûs, amoris, fidei ac reverentiæ monimentum reliquit.

Moritur eodem anno S. Bathildt, è potentissima Galliarum Regina humilis Christi Ancilla, quæ cùm paulò ante mortem in sua Deiparentis Basilica ante tantæ Matris altare in ferventissimas ex more preces incumberet, vidit sublimi vertice scalam ad cælos se usque exporrigere, ex eaque sibi cælestes genios occurrere, qui se summo plausu ac gratulatione ad sublimia illa æternæ felicitatis Regna deducerent.

671. 191. Insigni triumpho cælos felicissimo transitu implet, sanctissimus

Ann. Chr. | S. p. N.

ſimus ille Toletanæ Eccleſiæ Archi-Pontifex Ildephonſus Deiparæ in utero Matris dilectus, ab ubere devotus, in vita omni addictiſſimus, de quo ſic Rodericus Archiepiſcopus ejus Succeſſor: Quia Divina gratia perfuderat os illius, Ildephonſus *Os aureum* dicebatur, & quia in diverſis libris mellifluè loquebatur, & de virginitate B. Virginis nitido politoque elogio peroravit *Anchora fidei* ejus tempore in tota Hiſpania, Gottica, Gallia roboratur; & libri ab eo editi, poſtquam fuère in Concilijs lectitati, & ab omnibus approbati, tanquam cibi Divinæ gratiæ, in fide puſillanimes refecère &c. Lucas Tudenſis *quaſi Luciferum inter ſydera.* Ipſum fulſiſſe in Eccleſia deprædicat. Sed longè illuſtrius encomium eſt, quod ſolemne omnium Patrum Concilij ad Pennam-Fidelem in Hiſpanijs celebrati conſenſu eidem decretum, canone undecimo: *Quo Glorioſæ Virginis Dei Matris Capellanus, & Virginitatis ejuſdem ſpecialis præco, Patriarchalis Toletanæ Eccleſiæ Præſul appellatur.* Sed de Ildephonſo nunc ſatis.

672. 192. Rurſum illuſtre Belgium Sydus illuminat, B. Gudila Virgo, è Principe humilis Deiparæ Ancilla, in Monaſterio B. M. V. Nivigellenſi à S. Gertrude piè educata, quæ magnæ Matris amorem cum lacte imbibit, & in vita omni eidem fideliter ſerviens, à morte illuſtri Virginitatis Marianæ inſigni notari meruit, cùm ad tumulum ejus populus arbor ipſa hyeme prodigioſè vireſceret, & frondes emitteret, non minore prodigio, cum ſacrum Virginis corpus Morcellam transferretur, eadem mirè eradicata & tranſplantata, cujus miraculi famâ excitus Carolus Magnus perſpectâ rei veritate inſigne illic Virginum Cœnobium exædificavit.

674. 194. Claret S. Humbertus ex Monacho Epiſcopus S. Amandi lectiſſimus diſcipulus, qui cùm Magiſtri exemplo Deiparentem eximiè amaret & coleret, ejuſdem & Apoſtolorum Principum honori Maricollenſe Cænobium condidit. Ejus ſacrum corpus centum ſeptuaginta tribus poſt mortem annis repertum eſt incorruptiſſimum.

Cele-

676. 196. Celeberrimus ille sanctissimi Gemmeticensis Cænobij Abbas Philibertus de Gallijs benè meretur, aliaque inter benefacta promoto Deiparentis cultu celeberrimâ Monachorum sanctissimorum colonia & congregatione sub nomine Dominæ nostræ institutâ, durante ad æternitatem omnem sanctissimi Abbatis Mariani cultûs monimento, illustri Monasterio, in cujus inquilinis, tanquam verè in plenitudine Sanctorum Cæli Regina sese habitare, clarissimè demonstravit.

677. 197. S. Audoënus ex Cancellario Regni Galliarum Resbacensis Monachus, è Monacho Rothomagensium Archiepiscopus, quasi sol quidam non Galliæ solùm, seu & Hispaniæ illucescit, Monastici Ordinis tantus Promotor, ut Fridegodus Scriptor antiquissimus asserere non dubitarit: *Monasteria sub Audoeno, & multitudine* & Religione, Ægypti Monasteria ab Antonio quondam condita, æquare visa esse. Hic Augustissimam Cæli Reginam cùm impensiùs coleret, ejusdem sui cultûs eximium quoque argumentum Cathedrali beatissimæ Virginis Basilicæ reliquit, quàm suprà omnes Antecessores suos gloriosam reddidit, & thesauris plurimis in eadem Dominam suam honoravit, neque Cœnobium sive Ecclesiam Diœceseos ullam prætérijt, quàm non exornaverit vel locupletaverit, multò nomine Reginam Sanctorum demeritus.

678. 198. S. Agatho ex Monacho S. Hermetis Panhormi Romanus Pontifex, Cælum & Cæli Augustam mirificè demeretur, Monothelitarum oppressâ Hæresi, & sacro imaginum cultu pro virili & summâ authoritate asserto, qui jam ante Pontificatum eâ miraculorum gloriâ exsplenduit, ut vulgò Thaumaturgus appellaretur.

679. 199. Moritur S. Deodatus noster ex Abbate Saltus Vosagi Nivernensium Pontifex, cujus obsequia Divina Mater exambire visa est, cum revelatione Numinis, iussus est in honorem cælitum Reginæ Monasterium condere, loco item divinitùs designato, quod in Valle Gallilæa exstruxit, plurimosque Deo, ac Deiparæ, unicæ suæ totiusque Ordinis Matri filios educavit,

eosque

Ann. Chr. | S.P.N.

eosque inter illustrissima illa Alsatiæ & Imperij Sydera SS. Arbogastum & Florentium Episcopos Argentinenses.

680. 200. Iterùm egregia Lampas Mariana terris subtrahitur, Syderibus Cæli supremi inseritur S. Modesta Virgo & Abbatissa S. Symphoriani Treveris, S. Gertrudi familiaris, quæ cùm Deiparæ addictissima esset, & ante Altare tantæ Matris in ferventissimas effusa preces procumberet, ab eadem Gertrude de felici sociæ transitu edoceri meruit, & quasi invitari, eodem non multò post secutura.

682. 202. Magno Cœlitum plausu excipitur ad immortalia Regna emigrans S. Agatho urbis & Orbis Pontifex, cui multa centena Marianarum imaginum debet Orbis Christianus, cùm operâ ejusdem priore anno Constantinopolitana Synodus, sexta generalis celebraretur, qua solemnissimè cultus SS. Imaginum assertus & commendatus, omnium fidelium mentes mirificè accendit. Et hoc Concilium Generale sextum reliquis quinque adjectum, summæ auctoritatis deinceps habitum, ut quod his sex concilijs. *Summa Fidei Christianæ fundaretur.*

683. 203. Angliam fulgoribus Sanctitatis perstringit S. Ediltrudis, Annæ Orientalium Anglorum, celeberrimi Regis Filia, rarâ felicitate Virginum Virginis æmula, etiam alterâ vice nupta, Virgo in ævum permanens, duosque Maritos Virgines servans, factos Divi Josephi æmulos pietate. Quæ eversum Mericorum Tyrannide magnæ Matris Cœnobium, insigniter restauravit, seque ipsam rejectâ purpurâ ancillam Dominæ suæ se emancupans, magno vitæ rigore & prophetico Spiritu claruit, illustribus à morte miraculis commendata, cujus Virgineum corpus sexto decimo post obitum anno repertum est incorruptum.

685. 205. Benedictus II. summâ sanctitate Pontifex Cœlum triumphans invehitur, cum suæ ergà Cælitum Imperatricem observantiæ devotionisque argumenta haud levia successoribus universisque fidelibus exemplo in terris reliquisset; & Ecclesiam S. MARIAE Majoris, olim Pantheon dictam variè exornasset,

Ann. Chr.	S.P.N.	
		namque super Altare Dominæ tam dilectæ tamque dignæ, *Copertorium Porphireticum, cum Cruce ex gemmulis fecit, quatuor Chrysoclavos, & in circuitu palergium holosericum pulcherrimum &c.* cujus eminens sanctitas, ostensa est potiùs Ecclesiæ, quàm data.
686.	206.	Magnus Franconiæ Apostolus S. Chilianus noster, devictæ gentilitatis, illustre trophæum erigit, & connitente Hetano Duce Franconum, quem recèns ad fidem converterat, excitatum, Reginæ Apostolorum consecrat spectatissimam Herbipolitanam Basilicam, ut hæc quoque nostris originem debeat, sanguine deinceps nostrorum multò illustrior facta atque exornata.
687.	207.	Iterùm alius è Mariano nostro Horto Concluso emergit flosculus, S. Vulmarus Abbas, Virginum Virginis non affectu solùm, sed exemplo cultor egregius, qui cùm Deiparæ honori & nomini insignem Basilicam cum Cœnobio condidisset, magnumque utriusque sexus Domesticorum Marianorum cœtum Matrifamilias tantæ congregasset, & admirandis vitæ exemplis eisdem præluxisset, ipse tamen sacras Virgines nec moriturus quidem videre, neque ab ijsdem videri annuit, cumque vel mortuum quidem tantum Patrem conspecturæ occurrerent, publico elati funere, nec feretrum quidem aspicere potuerunt.
689.	209.	Mortalibus valedicit S. Bertinus noster, Abbas in Sithiu B. M. V. Cœnobio, quod ipse magnæ Matris cultoribus ferventissimis frequentissimum reddidit, tanti à morte factus, ut alter ad Deiparam loci Tutelaris adjungeretur, quin & ipsum Marianum Cœnobium ab ipso deinceps S. Bertini cognominaretur.
		Eodem anno coronatur Martyrio felicissimus ille Franconiæ Apostolus S. Chilianus, qui Apostolorum Reginam in Apostolatu suo veneratus, conditæ à se Basilicæ, & ipse deinceps juxta tantam Dominam Tutelaris est adoptatus.
690.	210.	Moritur dignissimus S. Ildephonsi Successor in Archiepiscopatu Toletano B. Julianus, & ipse ex Agalliensi Cænobio ad

eam

Ann. Chr. | S.P.N.

eam dignitatem aſſumptus, ad eandem quidem Cathedram, quam Deipara cum Ildephonſo ſuo communem habuit, promotus ſed tantæ Dominæ Majeſtatem tantopere reveritus, ut etſi ſanctiſſimus, nullo tamen modo eâ uti veſte præſumeret, quàm Ildephonſus dono Virginis acceperat, Anteceſſoris ſui in cultu Cælorum Reginæ Æmulator ſtrenuus, cujus etiam exemplo, cum omnium ferè ſui ſæculi doctiſſimus haberetur, librum inſignem contra Judæos ſcripſit. Succeſſit Juliano Siſbertus, qui, cùm cæleſti illâ uti Caſulâ non timeret, perduellionis paulò poſt læſæque reus majeſtatis, ſede ſimul & regno eſt exturbatus.

692. 212. Venerabilis Beda noſter cultûs Deiparæ Reſtitutor ſingularis, Pſalterium Marianum, è beatiſſimi Patris noſtri Benedicti inſtituto, longè lateque per Britanniam propagat, eoque Cælum Cælique Reginam, Cultoreſque Deiparæ univerſos immortaliter ſibi obligat. De quo legendus B. Alanus de Rupe Dominicanus, Coppenſteinius, Bonifacius &c.

694. 214. Fundatur ſub hunc annum celebre illud noſtrum S. MARIÆ ad Martyres Cœnobium.

695. 215. Duo inſignia Ordinis Sydera terris occidunt, cælis oriuntur, SS. Aichardus & Audomarus noſtri, quorum ille à pueritia tantopere deditus Deiparæ fuit, ut parentem fatigare precibus non ceſſaret, donec magnæ & Matris & Virginis honori ac nomini Cœnobium ſe conditurum promitteret, atque etiam quod promiſerat impleret, cujus poſteà ipſe, ex Anſionenſi poſtulatus Cœnobio Abbas creatus eſt. Audomari verò monimentum, Baſilica illa & Cœnobium Deiparæ fuit, quàm in Sithiu erexit, inter celeberrima Belgij uſque hodie ſpectata.

698. 218. S. Lamberti Martyrio illuſtriſſimus hic annus, qui S. Landoaldi Abbatis diſcipulus, Trajectenſis poſteà Epiſcopus fuit, Deiparæ Amator ſtrenuus, cujus Cathedralem Trajecti Baſilicam ita excoluit, atque exornavit, ut alter ejus fundator habeatur, ſecundùm quàm præcipuus ejuſdem, totiuſque Diœceſeos Tutelaris, religioſiſſimè colitur. Conceſſit eidem Eccleſiæ

Ann. Chr.	S. r. N	
		Clodoveus Francorum Rex multa privilegia, suadente & impetrante Lamberto, cujus consuetudine Rex magnopere est delectatus, usus instructione, ut ad Lambertum quæ benè in regno gesta, Apostolatum autem Lamberti ad Deiparam Reginam Apostolorum referamus.
699.	219.	Angliam illustrat B. Anthelmus, ex Monacho Meldunensi Schireburnensis Episcopus, cujus alia inter summi ingenij monimenta libri duo extant de virginitate, quibus virgines, ac Virginem præcipuè Virginum, doctè, disertè, ac peramanter demeretur.
700.	220.	Hoc an priore anno idem S. Anthelmus evocatus à B. Sergio summo Pontifice Romam, eundem præcipuum Deiparæ cultorem Ecclesiæ Patrem à turpi calumnia, grandi prodigio liberat, per os infantuli nimirùm, Sergium innocentem pronunciantis.
		Cœlos suo adventu beat sanctissimus Avenionensium è Monacho Lirinensi Pontifex, Divus Agricolus, qui potentissimam Cœli Imperatricem devotissimo obsequio ferventissimè coluit, ejusque Basilicam Avenionensem opulentissimè auctam atque dotatam, egregiè instruxit. Idem à morte honorans Dominam suam, an ab ipsa honoratus, maximâ deinceps hominum multitudine ad ejus memoriam Sabbatho confluente, quod illa potissimùm sacrâ Deiparæ in hebdomade die, omne morborum genus prodigiosissimè curaret, & ab hominibus cacodæmones eijceret. Servavit Avenionem sæpiùs Agricolus, ob idipsum magnus ejusdem Tutelaris adoptatus, ad cujus honorem plurima cùm templa, tum Sacella erecta sunt.
701.	221.	Beatus Sergius I. Pont. Max. corporis solutus ergastulo, cœlos petit. Idem præcipuis Divinæ Matris Cultoribus, cultûsque Promotoribus multo nominè accensus, alia inter gravissima merita Litanias quotannis & supplicationem solemnem, Festis Annunciationis & Nativitatis B. M. V. indicens. Idem solemnissimam illam, toto terrarum orbe observatam die Purificationis Processionem & Cereorum accensorum usum decernens.

Ann. Chr.	S. P. N.	
		nens. Idem Assumptionis Augustæ nostræ festo, supplicationem Clerorum Litanijs imperans. Idem immortali merito, auctoritate Pontificiâ virginum Virginem, frendente etiam Justiniano II. Imp. θεοτόκον, contra impiorum conjuratam nequitiam asserens, & Pseudo-Concilij Constantinopolitani acta damnans. Decessit Marianus hic pugil complorante urbe & Orbe, postridiè Nativitatis B. M. V. an ipsa die, solemnitate à se institutâ in terris ut frueretur, an ut triumphali in cælis processioni jungeretur, cujus memoria in benedictione est.
702.	222.	Inter prima Belgij decora celebratur hoc anno S. Wiro, ex Monacho Episcopus, ad conversionem Gentium ordinatus, Apostolicis laboribus & fructibus de Belgio æternùm meritus. qui sub hunc annum pro suo in Ordinis Protectricem studio insignem ejus nomini & honori Basilicam cum adjuncto Cœnobio in monte S. Petri condidit, eoque se post Apostolicos labores, tanquam ad Apostolorum Reginæ sinum & penetrale recepit, à Ruræmundensibus Tutelaris à morte consalutatus.
703.	223.	S. Faroaldo II. Spoleti Duci potentissimo magno apparatu Romam profecturo visibiliter occurrit Deipara: &, quo pergis? inquit: impende potiùs sumptus itineris Monachis meis Faruæ, quod & fecit; quin & deniqùe se seipsum Cælorum Augustæ in tam chara ipsi familia Monachum professus, ut suo loco videbimus, devovit.
		Memorabili numero, lectissimi duodecim è nostris Apostoli Germanias demerentur, Suitperto & Willibrordo Ducibus, quorum operâ maxima vis Ecclesiarum, Sacellorum, aliarumqùe memoriarum Cœlitum Augustæ, Apostolorum Magistræ erigitur, quamplurimis in hodiernum usque diem extantibus.
704.	224.	Galliarum æternum decus S. Bonitus Arvernensis Episcopus, fidelium omnium oculos perstringit, suoque ergà Deiparam, & hujus ergà ipsum affectu corda afficit; qui ex illustrissimo Romanorum Senatorum ortus genere, ex Aulico Episcopus, utrobique Monachus, non acquievit tamen, donec abdicato

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Pontificatu cucullum mereretur. Eum, Præsulem etiamnum Cœlitum Regina magno favore dignata est, nec leviter visa honorare. In Divi Michaëlis prolixiùs in preces incumbenti visio mira se obtulit, & ne somnium putes, comprobandæ veritatis monimentum æternum reliquit: Ingressa siquidem cœlestem inter Musicam & magnum Cœlitum comitatum magna Mater & Virgo, sciscitantibus Sanctis, quisnam celebraturus Missam esset? *Ecce*, inquit illa, *adest hic Bonitus, Præsul verè bonus, & benè dignus, cui hoc muneris demandetur.* Subducere se paranti, columna templi lapidea, ad quam se retraxerat, ceræ mollitiem induit, cessitque, durante in hodiernam diem imaginis monimento tam prodigioso, coactusque sacris solemniter in præsentia tantæ Dominæ operari Bonitus, ministrantibus ad Aram Sanctis, eo peracto, eximij Candoris veste à virginum Virgine donatus est, quæ in Arvernensi Ecclesia etiam hodie ostenditur; materiâ, texturâ, candore, odore, levitate & lævitate cælestibus ac prodigiosis. Bonitus autem paulò post Monachum professus totum purissimis Virginis amoribus in Magnilocensi Cœnobio se addixit, ubi & decessit, magnis post obitum miraculis illustratus.
705.	225.	S. Svvitpertus noster apud Brunsuicenses & Boructuarios fidem prædicat, cujus operâ pleræque Deiparentis Basilicæ illic excitatæ videntur, etsi hodie desertæ & prophanatæ.
706.	226.	Evocatur ad æternitatis præmia S. Thomas Farfensis Abbas, amorem Dominæ nostræ singularem meritus, cujus gratiosissimâ jussione, ad illud ipsum, tunc dirutum Monasterium se contulit, nec sine præsente tantæ Tutelaris ope, pristino splendori restituit, & tantæ Patronæ dedicavit, cujus familiæ cùm 26. circ. annis præfuisset, hoc anno decessit.
707.	227.	Moritur egregius ille Scholarum Anglicarum Præfectus S. Abbas Adrianus, Cœnobij Niridani olim Abbas, quem, ut in vita addictissimus erat beatiss. Virgini, vidit post plurimos ab obitu annos S. Dunstanus Archiepiscopus Canturianensis in Ecclesia inter Choros Cælestium, cum ipsa mundi Domina Numinis laudes celebrantem.

Ann. Chr. S.P.N. Ipso anno obijt etiam S. Hildulphus, è Treverensi Episcopo Monachus in saltu Vosagi, de cujus cultu Mariano jam suprà diximus.

Decessit similiter Joannes VII. Pont. Max. qui Romæ Ecclesiam S. MARIAE Novæ præclarè restituit, & insigniter adornavit. Idem in Divi Petri sepultus coram altari magnæ Tutelaris suæ, cujus & statuam illic opere thessalato condidit & collocavit gravi vultu decoram, armillis & coronis ornatam, expansis manibus, græco ritu, habitu coloris castanei, staturæ palmorum quindecim, ad cujus dextram stabat erectus idem Joannes, sublatum manibus Dominæ suæ offerens Oratorium, quod ejus honori struxerat, cum hac inscriptione:

Joannes indignus Episcopus fecit
Beatæ DEI Genitricis Servus.

Ut haud minùs meritoriè Servum Deiparæ Joannem dici gestijsse memineris, quàm Servum Servorum DEI, hoc est, Summum Pontificem salutari.

708. 228. Sub hoc ferè tempus claruit, sive in Domino obdormijt B. Noitburgis Virgo, quæ cum illustrissimo nata genere, ab illustrissimis Procis exambiretur, in B. M. V. Novo Coloniæ Cœnobio, se Virgini Matri & Sponso Virginum consecrans, cùm etiam per vim ipsam extrahere conarentur Principes corpore solvi oravit & impetravit, ad thronum admissa gloriæ, quæ Reginæ Cæli in terris servire concupierat.

709. 229. Morte magni Frisiorum, Australium Saxonum & Vectæ, Insulæ Apostoli S. Wilfridi nobilis hic annus est, qui Regijs ortus natalibus, parturientis ex utero Matris velut flamma egredi visus est. Is è Monacho Archiepiscopus Eboracensis, ex Archiepiscopo exul pro Christo & Apostolus, æger quandoque Deiparæ ope mirè convaluit, cùm Michaël Archangelus ipsi visus, Cælitum Reginæ & discipulorum ejus precibus redditam ipsi ad quadriennium usque incolumitatem nunciasset.

Valedicit item Mortalibus S. Aldelmus, de cujus ergà Deiparam affectu jam superiùs diximus.

Hor-

710. 230. Horreum B. M. V. Coloniæ pro Marianis Virginibus à S. Irmina nostra conditum, hoc primùm anno Ferreolus Locrius memorat, nos maturiùs, plurium auctoritate superiùs posuimus. Decessisse tamen sub hoc ferè tempus annis & meritis maturam sacram illam Virginem credimus, & ob positam, ad pedes Reginæ Cælorum, coronam terrestris Regni, pro hac cælestem meruisse.

711. 231. S. Switpertus noster egregio monimento cælis terrisque Reginæ Cælorum posito, suum contestatur amorem, celeberrimâ & cathedrali illâ Werdensi ejusdem honori ac nomini exstructa & dedicata Basilicâ, velut insigni Triumphatæ gentilitatis erecto Trophæo, & Victrici gentium, Reginæ Apostolorum consecrato, quam ipse Apostolatus cui Magistram agnoscebat.

712. 232. Floret egregius Deiparæ cultor S. Justus, ex Monacho Vallis Gregorianæ in Alsatia, Argentinensis posteà Episcopus, qui insignem scripsit Commentarium in Cantica Canticorum, magno nimirùm in Virginem Virginum amore dictante, cujus deinceps Argentinensis Cathedræ aureum & gemmeum factus ipse est ornamentum.

714. 234. Hoc anno quod arma Maurorum nimium per Hispanias invalescerent, ne cælesti illo thesauro, donatâ sanctissimo Præsuli Ildephonso à Deipara veste Hispani privarentur, jam ad Regnum Asturum transtulêre.

716. 236. Gregorius II. è Monacho Pont. Max. pro eximio suo ergà Deiparam studio, ad ejusdem Basilicam ad Præsepe insigne Ordinis nostri Cœnobium adjungit, ita ut duo jam illic Cœnobia, irremissiore Chori exercitio Cælorum Reginæ inservirent, & ut Anastasius Bibliothecarius scribit: *Vtraq; Monasteria, ad sanctam Dei Genitricem singulis diebus atq; noctibus laudes Deo canerent &c.*

Eodem anno Ethelbaldus Rex Mericorum, ipso in Regno vitam Monachi agens, illustrissimum illud B. M. V. Cœnobium

Ann. Chr. | S.r.N. | bium Croylandense cum insigni Basilica condit, & insigni Marianorum Domesticorum cœtu providet.

717. 237. *Mirificus ille*, ut ait Cæsar Baronius, *Saxonum & Frisiorum appellatus Apostolus Primus VVerdensis Episcopus S. Suipertus*, in Cælos evolat, æterno, ut vidimus, cultûs sui Mariani monimento, Cathedrali B. M. V. structâ Basilicâ, & Apostolorum Reginæ nomine ac honore longè lateque prolato, cui ipse alter à morte amplissimæ Diœceseos Tutelaris est addictus, & solemnissimo ritu à S. Leone III. in Sanctorum relatus numerum, magnis etiam à morte miraculis commendatus.

719. 239. Inchoat Apostolatum suum in Germania magnus Bonifacius noster Deiparentis cultor egregius, & ut erat Magistræ humilitatis absolutissimus discipulus, datis ad Moniales MARIAE in Anglia Domesticas litteris, præces earum rogare Apostolicus Legatus non erubescit: *Quia ultimus*, inquit, *& pessimus sum Legatorum, quos Catholica & Apostolica Ecclesia Romana ad prædicandum Evangelium destinavit, ut omninò sine fructu non moriar, & vacuus filiorum & filiarum numero non revertar &c.*

720. 240. Moritur S. Egvvinus noster Wigorniensis in Anglia Episcopus, de cujus ergà Deiparam affectu, ita scribit vitæ author, S. Brithualdus Canthuariensis Archiepiscopus: Beatissimam verò MARIAM, Domini nostri JESU Christi Genitricem, toto affectu & spiritu, toto corde & amore amplexabatur, ut nunquam à memoria ejus excideret, nunquàm in verbis ejus deesset, cujus visitatione & consolatione Dei servus Egvvinus sæpè recreatus, omnia quæ mundi erant, omittebat, & ea quæ Dei erant indesinenter exercebat, miseris condolebat, pauperes recreabat, esurientes pascebat, & cætera pietatis opera adimplebat. Ejusdem Mariani cultûs monimentum illustre fuit celeberrimum Eueshaimense B. M. V. Cœnobium, quod ejusdem honori, ejusdemmet jussis condidit, eo ipso loco, quo ipsi Divina Mater apparuit, & familiariter ipsum alloquuta, cruce aureâ splendidissimâ benedixit.

721. 241. Faroaldus II. ejus nominis Dux Spoleti longè potentissimus

Ann. Chr. | S.P.N.

infinitorum (uti MSS.ti habent) Castellorum & Urbium Dominus, Farsense in honorē B. M. V. Monasterium de novo molitur, cùm superioribus annis ingenti sumpto cœpisset, in quo seipsum Deiparæ devovet, cucullum summa omnium cum admiratione amplexus cùm 29. annis imperasset.

722. 242. Hoc anno fundatum celebre Monasterium beatissimæ Matris Virginis ad Cavias, sive Caviacense, à Rachisio Longobardorum Rege memorat, eo ipso, qui posteà seipsum Virginis Filio sacram vovens victimam in Monasterio Cassinensi Monachum professus est.

724. 244. Potentissimum illud beatissimæ Matris & Dominæ nostræ Augiense ad Rhenum & lacum Venetum Cœnobium, à Sindeslao Principe ad preces S. Pirminij nostri Meldensis Episcopi conditur, loco ad naturæ miraculum eleganti, quod deinceps ob ingentes eo collatas opes Augiæ Divitis cognomen accepit; ex quo velut seminario quodam Mariano, admirandâ sanctitate viri prodiêre, qui præ cæteris Germaniæ cultum Cælorum Augustæ terris commendârunt, è quibus SS. Meinradus, Wolffgangus, Hermannus Contractus alijque toto etiam Orbe celebre nomen meruerunt.

724. 245. Iterùm magnus Deiparæ Cultor Germaniam splendoribus illustrat S. Corbinianus Episcopus, qui immortali merito templum Cathedrale honori tantæ Ordinis nostri Tutelari Frisingæ condit, & dedicat, simulque BENEDICTUM Parentem BENEDICTAE Matri adjungens, alterum loci & Diœceseos Tutelarem adoptat, ipse proculdubio ope Apostolorum Magistræ plurimùm laboribus Apostolicis proficiens, magnis Germaniæ Apostolis suo merito accensus.

726. 246. Iconoclastarum Hæresi repente per Orientem invalescente, cum Deiparæ & SS. imagines grandi passim furore deijcerentur, atque exurerentur, S. Gregorius II. Pont. Max. verè Benedictino-Marianum se pugilem probans, toto conatu obnititur, pro Domina sua Sanctorum omnium Regina, ejusque Filio, etiam vitam cum sanguine profusurus, uti Leoni Augu-

sto

Ann. Chr.	S.P.N	
		sto exilium minanti, magno respondit animo: *Atq; utinam*, inquit, *Dei munere nobis contingat, ut per Martini viam* (qui exul contabuit) *incedamus: tametsi ob plebis utilitatem vivere volumus, & supervivere.*
727.	247.	Exsplenduit mirificè lucidissimus ille Orientis Sol, ut loquitur Bellarminus, S. Joannes Damascenus noster, cultor Deiparentis præcipuus, qui hoc ipso anno librum insignem pro sacris imaginibus scribens, cælum terrasque demeretur.
728.	248.	Joanni Damasceno pro Sanctis laboranti, crudelissimus SS. Imaginum hostis Leo Iconoclasta Imperator dextram amputari jubet, quàm ipsi apparens Cælitum Imperatrix prodigiosè restituit, relictâ roseâ lineâ junctæ cum brachio dextræ, insigni æterno incisæ & prodigio restitutæ, quamque ille deinceps multò alacriùs strinxit in impios, sceleratissima eorum dogmata triumphando & enervando.
		Moritur eodem anno B. Faroaldus ex Duce Spoletano potentissimo B. M. V. devotissimus, in Monasterio Farfæ Monachus, abstinentiâ, humilitate, carnis mortificatione, omnique virtute Monachorum exemplar factus.
729.	249.	Non minùs Damasceno amorem Divinæ Matris meritus Gregorius II. Pont. Max. dum confirmatissimo animo Leoni Cæsari & Iconoclastis se opponit, illius scelere per arma Luitprandi Regis ad necem quæsitus, dum spontè occurrit, Regem ita flexit, ut ad pedes se ejus abijceret, amicus & adorator ex hoste & conjurato factus.
730.	250.	Incredibile penè quanto studio S. Pirminius Deiparæ Nomini studuerit, qui in Rhetiam delatus illic quoque sub hæc tempora illustrissimum eidem Cœnobium B. M. V. Fabariense, in altissimo monte condidit, loco à columbis designato, cujus deinceps Abbas S. R. I. Principibus est annumeratus.
731.	251.	Moritur S. Gregorius II. & inter Sanctos dein refertur, *cujus, si scripta*, inquit Baronius, *extarent, resq; ab eo gestæ diligentiùs scriptis mandatæ essent, Gregorio Magno haud minorem æstimares, &c.* Hic ad majorem Iconoclastarum confusionem, suique

Ann. Chr.	S.P.N	
		ergà magnam Matrem devotissimi cultûs demonstrationem, nullo fortè priùs habito exemplo, sed posteris dato, auream beatissimæ Virginis statuam ad Præsepe collocans, æternos, hoc ipso impenso Matri honore, & ipse honores meruit, dignus & ipse qui aureâ statuâ à Marianis cultoribus honoretur.
		Moritur eodem anno S. Bertualdus ex Abbate Racvvulfensi, Canthuariensis Archiepiscopus, qui Iconomachorum tempore pro Domina sua stans & constans, cælos plurimùm demeruit, plurimis Synodis celebratis, quibus SS. Imaginum cultum contra impios asseruit, & pietati fidelium consuluit.
732.	252.	Moritur spectatissimus ille Augustæ Vindelicorum ex Eluacensi Abbate Pontifex, S. Victerpus, qui celeberrimam ejusdem urbis B. M. V. Basilicam Cathedralem insigniter adornavit, ita quidem ut præcipuus Ecclesiæ totiusque Diœceseos Benefactor haberetur. Idem Fultenpacense Ord. nostri Cœnobium tantæ Dominæ honori ac nomini struxit. Ipse autem à morte præcipuis post Deiparam ejusdem Ecclesiæ & Episcopatûs Tutelaribus accensus est.
733.	253.	Gloriosâ morte, vitam immortalem inchoat S. Corbinianus Frisingensis Diœceseos sub nomine & patrocinio B. M. V. Fundator, & primus Episcopus, cui & ipse, tantæ Tutelari, alter ipse additus, usque hodie cum Domina sua, præcipuâ habetur in veneratione.
		Obijt eodem anno S. Rigobertus ex Abbate Orbacensi Rhemorum Archiepiscopus, qui, præterquàm meruerat, sede illâ dejectus, cùm S. Milo Successor ei resignare conaretur, recusans honorem: *Altare mihi*, inquit, *quæso obtineas S. MARIÆ, de rebus Episcopij facito quod volueris, undè minùs curo.* Usus proin exauctoratione suâ, urbem cui summo anteà cum honore præfuerat, ex Archiepiscopo Capellanus, despectus & vilis, quotidie subijt, &, ut vitæ scriptor habet: moris habuit in ara beatissimæ MARIAE, ut præ omnibus optaverat, missas celebrare. Ita obsequio suæ Dominæ immortuus, cujus

ossa

Ann. Chr.	S. P. N.	
		ossa dein ad Basilicam ejusdem Dilectæ suæ à Fulcone Archiepiscopo translata sunt.
735.	255.	Etiam in Bavaria S. Pirminius noster Triumphatrici Idololatriæ Virgini magnæ Matri Trophæa varia erigit, & sanctissimo ejus nomini plura Cœnobia consecrat, Altaichense utrumque superiùs & inferiùs, aliaque Monasteria, quibus amor tanti Pontificis usque hodie Cælo & terris probatur & commendatur.
736.	256.	Non minori constantiâ Iconoclastis se objicit Gregorius noster eo nomine Tertius, quàm Secundus, eoque Cæli Reginam ejusque Filium, cum Cælitibus universis demeretur, atque celebratis diversis Concilijs, missis Legationibus & Litteris Sanctorum honorem tuetur.
737.	257.	Pro Sanctarum Imaginum cultu, Deiparæ imprimis, quas sacrilegi nuspiam non dejectas volebant atque exustas, plurimi è Benedictinâ Familia per Orientem etiam latè propagatâ, plagas & carceres subeunt, plurimi crudeliter interempti fidem suam Dominæ suæ ejusque Filio sanguine probant & consecrant.
739.	259.	Inæstimabili meritorum cumulo dives in cælos abit S. Willibrordus, è Monacho Trajectensium Pontifex, quo prægnans olim Mater, lunam cælo in os cadentem deglutire & illuminari mirificè visa est. Et verè lunam induit Willibrordus, pulchræ illius ut luna longè amantissimus, cujus proculdubio beneficio vetustissimæ quævis apud Clivenses, Sylvæducenses, Campinienses, Ulissingenses, Colonienses, Trajectenses, Vesalienses, Embricenses, Luxenburgenses, Xantenses, per amplissimas Boreales Provincias, Basilicæ Deiparentis Sacræ usque hodie extant, ita ut tanto earundem gentium Apostolo debeantur. Cujus & illud est B. M. V. Treverense SS. Virginum nostrarum Collegium, quod ipse Dominæ nostræ ad Martyres appellavit.
740.	260.	Condit sub hoc tempus egregium Mariani suique nominis monimentum, illustrissimum scilicet sub honore & nomine

Ann. Chr. S.N.P. Divinæ Matri, Monasterium, Prioratum Semimurensem, Gerardus Ruscionensis, Nerviorum Dynasta, qui locum egregio sanè munere ornat, ac beat, annulo scilicet B. M. V. pronubo, quo non tam Josepho, quàm Benedicto etiam Archiparenti nostro, tanta Mater, multis tanti affectûs contestationibus & thesseris videtur desponsata.

741. 261. Cælum felici transitu plausu implet S. Gregorius III. Pont. Max. relictâ insigni atque æternâ sui memoriâ, plerisque Ecclesijs per urbem restitutis, sacris Imaginibus & earumdem cultu servatis, per orbem commendatis, & tribus minimùm libris contra Iconoclastas sapienter & eruditè scriptis, quibus insigniter Deiparam ac Cælites demeruit.

742. 262. Augustissimæ Cælorum Imperatricis honori, si quis uspiam præclarè consuluit, magnus Germaniæ Apostolus S. Bonifacius, qui amplissimum Regnum in varios partitus Episcopatus omnes omninò, etsi Compatronis subindè pro devotione plebis ac Principum cooptatis beatissimæ Virginis tutelæ committit.

743. 263. In Anglia incredibili fidelium fructu Psalterium B. M. V. remissiore nonnihil decursu temporis devotione, per sanctum & Venerabilem Bedam nostrum, restituitur, & latissimè propagatur, ita, ut tantus hic Doctor, præcipuus ferè post sanctissimum Patriarcham nostrum Psalterij Præco, à B. Alano de Rupe Deiparæ Cancellario prædicetur.

744. 264. Augustissimum illud Germaniæ Archisterium Fuldense in honorem beatissimæ Virginis, Auctore Bonifacio, per sanctissimos Reges Pipinum & Carolomannum Fundatur, & magnis proventibus dotatur, Schola deinceps Germaniæ Pontificum, eruditorum Promptuarium.

745. 265. Magnus Apostolus noster Bonifacius ex incertæ sedis Archi-Episcopo, primus Archiepiscopus Moguntinus, & Germaniæ rimas à Rom. Pont. renunciatur, qui sequenti mox anno

746. 266. duos potentissimos Episcopatus Aichstettensem & Herbipolensem instituit, virginum Virgini sacrat, & quidem illi S. Wilibaldum Walthcimensem dein Casinatem Monachum, huic

S. Bur-

Ann. Chr.	S. P. N.	
		S. Burcardum suum discipulum præfecit, utrumque eximiâ ergà Deiparam devotione ferventissimum, & meritissimis Germaniæ Apostolis adnumeratum.
747.	267.	S. Hildulphum Treverensem Episcopum superstitem etiamnum memorant nonnulli cultorem magnæ Virginis devotissimum, qui ejus honori insignem Basilicam condidit, & memorabili exemplo humilitatis sequutus Magistram, quantò sublimior fuit, tantò humilius de se sensit, & amplissimum deserens atque abdicans Pontificatum ad Monasterium Deo ac Dominæ suæ quietius vacaturus redijt.
749.	269.	Nonantulanum longè celeberrimum ad honorem Cælorum Reginæ condit Monasterium S. Anselmus noster, & potentissimo Foro Juliensium Duce humilis Deiparæ, imò servorum ejusdem servus, qui memorabili sanè exemplo primus ipse Cœnobij sui Antistes, in eadem Deiparæ Domo mille centum quadraginta quatuor, exceptis Novitijs ad professionem admisit, & inter MARIAE Domesticos conscripsit.
750.	270.	Moritur hoc an priore anno devotissimus ille Maximæ Ordinis Patronæ, Dominæ nostræ cliens S. Joannes Damascenus, cujus sanctam restitutam prodigio, verè prodigiosam in laudibus Deiparæ manum, & aureum sanè calamum nemo satis commendaverit & coluerit.
751.	271.	Claret illustrissima Marianarum Virginum & Monalium per Germanias Antesignana S. Lioba, magni Germanorum Apostoli Bonifacij consanguinea Pipino Regi ejusque Filio magno Carolo plurimùm dilecta, in vita & post mortem miraculorum gloriâ à Numine commendata. Fuit autem non minùs Bonifacio ad Deiparam affecta, per cujus sanctissimum Nomen, conjurato, ut sic loqui liceat, Numine, terribilem aliquando tempestatem, populo universo consternato & ad Ecclesiam confugiente, prodigiosè depulit, Germanisque invocandi in omni periculo & necessitate tam potentem Omnipotentis Matrem, exemplum præbuit, cultumque Dominæ apud eosdem promovit.

Cælos.

752. 272. Cœlos triumphans ingreditur S. Zacharias noster, urbis & Orbis Pontifex, qui pro Deiparæ contra Constantinum Copronymum juratissimum tantæ Matris hostem, sese fortiter opponens, Monstrum Cæsaris diris devovit, qui Deum simul cum Deipara negasse ab Anastasio convictus est.

Germanias eodem anno sanguine Gloriosissimo consecrat S. Hildebertus Abbas S. Bavonis Gandavi, qui pro cultu SS. Imaginum fortiter occubuit, Sanctorumque omnium Reginam cum Cælitibus universis præclarè demeruit.

Elevatur hoc ipso anno Corpus egregij illius Mariani Cultoris S. Svvitperti, Frisiorum Hollandorum & Saxonum Apostoli, jussu Stephani II. Pont. Max. per Hildegerum Archiepiscopum Coloniensem.

753. 273. Vitâ sanctissimè defungitur S. Petronax Abbas Casinensis, de SS. Matre & Patre BENEDICTUS optimè meritus, quorum alterum in altero æternùm sibi obstrinxit, cumque Patri suo Cœnobium & Basilicam Casinatum insigniter restaurasset Matri, unicæ suæ & totius Ordinis Tutelari insigne Cœnobium, loco amœnissimo, non sine Numinis liberalis præsenti gratiâ exædificavit, S. MARIAE in Cingla appellatum.

754. 274. Regnum æternum pro relicto temporali meretur & ingreditur hoc anno S. Carolomannus ex Rege potentissimo humillimus Casini Monachus & Pastor Ovium, relicto in terris immortali suæ ergà Dei Matrem charitatis & devotionis monumento, Fuldensi B. M. V. Illustrissimo Cœnobio, quod usque hodie Cœnobiorum per Germaniam tenet Principatum.

754. 274. Dononiense celebre admodum beatissimæ Virginis Cœnobium à Beatis Adeberto Comite & Conjuge Reginâ conditur.

755. 275. Hoc denique anno Apostolatum suum gloriosissimo Martyrio claudit & coronat magnus Germanorum Apostolus S. Bonifacius noster, meritò à Cæsare Baronio *Tonitrui Filius* velut alter Joannes & Jacobus appellatus, idem ut hi ipsi, Divinæ Matri addictissimus, qui tot eidem Episcopatus, Monasteria, Basi-

Ann. Chr. | S. P. N. Basilicas, adeoque Germaniam universam dedicaverit, & ut magnæ Tutelari commendaverit, durantibus in hodiernum usque diem, tot ejusdem devictæ gentilitatis Trophæis, Apostolorum & Martyrum Reginæ consecratis è quibus Erfordiensis imprimis Cathedralis Basilica, quæ posteà dignitas Moguntiam migravit, Aureatense dein templum B. M. V. magnificum, & Fuldense Archisterium ipso auctore à Religiosissimis Principibus Pipino & Carolomanno Dominæ nostræ exstructum, in quo etiam tanquam Apostolorum Magistræ sinu quiescere à morte voluit, & triumphans jam in Cœlo de corpore sollicitus, B. Otperto visus in Dominæ suæ Cœnobio illo sepeliri se jussit, campanis Basilicæ tantæ Matris spontè consonantibus, & tantum Clientem Reginæ suæ, prodigiosè consalutantibus.

756. 276. Incertum quamdiu superstes S. Pirminius noster, non contentus in Rhætia, Suevia, Boica, tam illustria Maximæ Tutelari suæ erexisse Cœnobia, à tot aliorum insuper monimentorum erectione diutiùs comprobatur supervixisse, è quibus Princeps illud Murbacense, sed & Schutterense, Gengebacense, Maursmünsteriense, Neuvveilerense, Schvvarzacense, aliaq; stant æternùm tanti Cælorū Augustæ Domestici, insigne & monimentum, in quibus tanto decursu sæculorum Tutelaris Dei Mater, verè in plenitudine Sanctorum habitans religiosissimè à sua non solùm familia Benedictino-Mariana honorata est, sed à totis provincijs cultu devotissimo frequentata. Ut Pirminium ivere merito meritissimis de Cælorum Augusta Heroibus accenseas, & si illam amas, hunc quoque cultu præcipuo venereris.

757. 277. Augustissimum illud Virginum Virginis Cœnobium Fuldense Schola Magistræ Apostolorum, Apostolo Bonifacio ad triumphos æternos assumpto, plures dein ad conversionem non solùm Germaniæ sed aliorum quoque Regnorum emittit, & hoc ipso tempore S. Sturmionem Abbatem Saxonibus concedit, qui Carolo Rege rogante id munus suscipiens, in eis-

Ann. Chr.	S. P. N.	
		dem ad gremium S. Matris Eccleſiæ colligendis, plurimùm laboravit.
753.	278.	Famâ Sanctitatis Gallias implet ſanctiſſimus & meritiſſimus Uticenſis Cœnobij Abbas Ebrulphus, in aula olim Clotharij Regis ſpectatus, qui unus quindecim Cœnobia condidit, & ut amantiſſimus erat Dei Genitricis, ab ipſa viciſſim dilectus & honoratus erat, cujus cùm templum aliquando præteriret, campanis omnibus ſponte ſuâ conſonantibus, conſalutatus eſt, ut facilè omineris qualiter deinceps ſic honorantem honoraverit.
795.	279.	Illuceſcit Germaniæ ſanctiſſimis vitæ exemplis S. Sola Abbas, magni Bonifacij quondam diſcipulus, & cultûs Mariani piè æmulus, qui poſt multos agri Dominici Apoſtolicos labores, ad dulcem contemplationis ſomnum illectus, unicæ Ordinis & ſuæ Tutelari magnæ Matri juxta Sualam amnem condens Oratorium, Solenſis B. M. V. Cœnobij fundamenta inſigni vitæ ſanctitate jecit, & ex Apoſtolo jam factus Angelus, Angelorum Reginæ eodem loco in finem uſque vitæ devotiſſimè ſervijt, cujus à morte corpus longo poſt tempore incorruptum, & ſuaviter redolens repertum & elevatum eſt.
760.	280.	Conditur ſub hoc ferè tempus celeberrimum illud pro noſtri Ordinis Monachis S. MARIAE de Mercede Monaſterium, quod hodie Archiſterium eſt Orhinis de Redemptione captivorum, ubi Imago uſque hodie magnæ Matris colitur, miraculis illuſtriſſima, & à toto Valentiæ Regno inſigni pietate & concurſu populorum frequentata, ut iterùm videas gratiſſimum ſemper Cœlorum Auguſtæ fuiſſe, Benedictinis ſuis cohabitare, & eo occurrentibus benedicere.
		Moritur ſub hunc annum lectiſſimus ille Superioris Alemanniæ Reformator, & Abbas Sangallenſis Othmarus, qui collapſum temporum injuriâ, ſtructum olim à S. Gallo Cœnobium, à fundamentis reſtituit, & Divinæ Matris honori dicavit, ubi in hodiernum uſque diem ceu innatâ quadam & cum profeſſione Monachicâ inſitâ pietate in Deiparam, Ordo

Mona-

Ann. Chr. | S.r N

Monachicus floret, & tanto subinde numero Marianus ille Monachorum Cœtus floruit, ut sanctitatis opinione celebres ducenti subindè ac trecenti, simul semelque illic convixisse memorentur.

761. 281. Patitur hoc anno illustrissimus ille Martyr S. Andreas Cretensis Monachus, Cultor Deiparæ mirificus, & Encomiastes ejus longè disertissimus, ferventissimus, meritissimus, ab jurato Virginis hoste Constantino Copronymo tormentis gravissimis addictus, hoc inter horrenda supplicia in laudes perpetuò Dominæ suæ ejusque Filij erumpente, donec solutus corpore ad thronum Reginæ Martyrum, imò sinum raperetur. Extant melleæ ejus ad Virginum Virginem preces, usque hodie omnibus Dominam tantam amantibus, nunquam satis degustatæ, æstimatæ.

763. 283. In Alcuinum Archi-Magistrum, ut sic dicam universi, intentissimi sub hoc tempus omnium oculi, qui tamen non tam eruditus videri voluit, quàm adorator Sapientiæ Matris, in cujus sinu, juxta illud: In gremio Matris residet Sapientia Patris, Sapientiam adorans, tantam inde gratiam meruit, ut eruditorum miraculum, præcipuarum Europæ Universitatum, & Academiarum Author habeatur. Extant ipsius maximi & sublimissimi ingenij monimenta, at Compendij memores nihil hic adscribemus. Satis sit Alcuinum Dominæ suæ honorem contra innumerabilem sceleratorum vim gloriosissimè propugnasse, aliaque inter Hæresim *de Adoptativo & Nuncupativo DEI Filio*, felicissimè triumphasse & profligasse. De quo ulteriùs suo loco.

765. 285. Iterùm alius Reginæ Apostolorum & Magistræ Cliens, ac discipulus, magni Bonifacij Alumnus, S. Gregorius Trajectensis Episcopus, Germaniam Apostolico labore demeretur, & Cathedram Deiparæ Trajectensem insigni sanctitate vitæ ornat, quem vitæ S. Ludgeri Scriptor. *Grandium meritorum Virum*, & S. Lullus Moguntinensium Pontifex, *Luciferam Christi Ecclesiæ Lampadem* appellat.

766. 286. Occidit Occidentis ille Sol illustrissimus Venerabilis Beda noster, Psalterij Mariani immortali cum merito ac fructu Restitutor, sexcentis alijs titulis de Cælorum Augusta meritissimus, cujus laudes egregijs encomijs extulit, & admirandâ verborum suavitate cordibus fidelium tantæ Matris amorem potentissimè simul ac suavissimè instillavit. Ejus laudes prolixiùs in Annalibus nostris Benedictinis celebramus.

767. 287. Feliciter in Domino obdormijt Paulus I. è Monacho humili urbis ac Orbis Pontifex, qui extra Ecclesiam S. Petri Oratorium in honorem Deiparæ construxit, musivo opere, & diversis metallis illud exornans. Idem & statuam Dei Genitricis ex argento deaurato pensantem libras centum in eodem Oratorio collocavit, ubi & sepulturam sibi paravit, de quo consulendus Anastasius Bibliothecarius.

768. 288. Iterùm multi in Oriente pro sua in Deiparam & SS. Imagines devotione, jussu nequissimi illius Cœlorum Reginæ impugnatoris Canstantini Copronymi Cæsaris, varijs supplicijs è medio tolluntur, & Monachicum Ordinem sui sanguinis purpurâ ornant, quibus Regina Martyrũ triumphales coronas nectit, & ad triumphos æternos deducit.

769. 289. Meretur immortaliter S. Stephanus eo nomine IV. è Monacho S, Chrysogoni Pont. Max. de Cælo Cælitibus, & Cælitum Augusta, Concilio Romæ celebrato, quod Orientalium error, & jam multis etiam Europæ locis invalescens Iconoclastarum furor irrepsisset, Sanctarum Imaginum usu solemniter confirmato.

770. 290. Mirâ in terris sanctitate splendescit S. Landrada, proximæ post Reges dignitatis parentibus edita, Virgo incomparabilis, tantâ religione ad virginum Virginem affecta, ut cùm ejus honori ac nomini Cœnobium moliretur, suis ipsa manibus tenerrima Princeps, cæmenta & lapides comportaret, & pro viribus structioni magno animi sensu ac devotione Dominæ suæ operam navaret, ubi posteà congregato Marianarum Domestica-

Ann. Chr. S.P.N. ſticarum cætui ipſa præfuit, & admirandâ vitæ ſanctitate eiſdem præluxit.

771. 291. Novo edicto Conſtantinus Copronymus Imp. Deiparentis hoſtis immaniſſimus in Monaſteria verſus, omnes magnæ Matris & Virginis & Sanctorum memorias deleri jubet, libros, Reliquias exuri, bona confiſcari, noſtris nihilominus in cultu Dominæ ſuæ conſtanter perſeverantibus, & millies mori, quàm impijs ſubſcribere eligentibus.

772. 292. Moritur S. Stephanus Papa, Deiparæ, totique Cælesti Curiæ eximijs meritis commendatus, idem eximiâ vitæ ſanctitate conſpicuus.

Ipſo item anno extinguitur ſplendidiſſima Belgij Lucerna S. Amelberga Virgo virginũ Virginis obſequio in ejuſdẽ Monaſterio Beliſienſi addicta, adeò jam olim virginitatis ſtudioſa, ut potentiſſimi Principum Caroli Martelli jungenda thoro, priùs brachium frangi ab eodem permitteret, quàm flecti ſe ſineret. Landradam deinceps, illam Deiparæ gratiſſimam famulam, Mariani Servitii nacta Magiſtram, cujus vitæ exemplo tanta evaſit, ut maximis Belgij Syderibus accenſeretur.

773. 293. Magnus ille Mariani honoris propagator Noricorum Apoſtolus S. Rupertus, ſolemniſſimè à S. Virgilio elevatur, & condigno honore reconditur.

775. 295. Conſtantinus Copronymus Deiparæ & noſtrorũ hoſtis acerrimus, impietatis ſuæ horrendas dat pænas, inter altiſſimos ejulatus *Vivens adhuc*, inquit, *traditus ſum igni inextinguibili* petens laudari jam Virginem, *cui ſine fædere*, ait, *fueram inimicus*. ita miſerè extinctus, qui tot noſtrorum Deiparentis Præconum extinxerat.

Moritur eodem anno S. Gregorius noſter Trajectenſis Epiſcopus, ſuccedente in Pontificatum & Apoſtolatum, non minùs Dominæ noſtræ, quàm ille fuerat, ſtudioſo S. Ludgero ejuſdem diſcipulo.

576. 296. Italiam fulgore ſanctitatis rutilantiſſimè perſtringit S. Epiphania Virgo Rachiſij Longobardorum Regis potentiſſimi filia,

Ann. Chr. S.P.N. lia, quæ cùm conditum à parentibus S. MARIÆ Caciacenſe Cœnobium inſigniter dotaſſet, non contenta ampliſſimas opes conferre, niſi & ſeipſam Cælorũ Reginæ, ejuſq; Filio obtuliſſet, eodem loco purpuram cucullo mutans, Dominæ ſuæ ad obitum uſque fideliter ſervijt, cujus Natalis ſolemniter Prid. Non. Octob. celebratur.

777. 297. Hoc ipſo anno ſanctiſſima Regina Hildegardis Caroli Magni poſteà Cæſaris Uxor, celeberrimum Deiparæ Virgini Monaſterium condit, propè Campidonum, inter quatuor totius Rom. Imp. Principes deinceps Abbatias accenſum, quod cum templo magnifico abſolutum, ipſe ſummus Pontifex Adrianus ſolemniſſimè dedicavit.

778. 298. Gallias cùm diutiùs egregiâ ſanctitate illuſtraſſet S. Gumbertus Senonenſis Archiepiſcopus, eo ſe munere abdicat ipſe, ut cucullũ in monte Vogeſi amplecteretur, hoc deniq; añO feliciſſimè mortuus, & miraculis à Numine commendatus. Is Monaſterium loco qui Grundianus dicitur, conſtruxit, ſed & Baſilicam Divinæ Matris Divinâ monitus revelatione ædificans, illam impenſiùs coluit, quàm Deus ipſe ſic commendaverat honorandam.

779. 299. Magnus Carolus Galliarum Rex totus à Viris ſanctis dependens, vitâ & converſatione, in ipſa etiam purpura Monachum agens, noſtrorum gratiâ & inſtinctu multa paſſim Deiparæ honori & nomini Monaſteria, Templa, aliaſque memorias erigit, & propagatâ longè lateque per noſtros fide, Virginis Matris juxta cultum promovet.

780. 300. Magnum Hiſpaniarum Regnis ornamentum addit florentiſſimâ ſanctitate S. Emereus, quem in Matris etiamnum utero, nedum ab ubere Domina noſtra glorioſiſſima ſuum voluit, Matri ipſius viſa, ſibique deberi quod naſceretur ille, conteſtata; Ne timeas, inquit, quia rogavi filium meum, ut gigneres prolem, quod ipſe agnoſcens poſteà Emereus, ipſe donum Virginis, dono ſe Virgini dedit, conditoque in honorem tantæ Patronæ & Proto-Martyris Stephani Balneolenſi Cœnobio, in

eode-

Ann. Chr. | S.P.N.

eo deniqueseipsum etiam obtulit, admirandis prodigijs à Numine commendatus, plurium mortuorum suscitator mirificus, & singulari cultu deinceps à fidelibus celebratus.

781. 301. Vitâ felicissimè & Apostolatu defungitur S. Willibaldus noster, primus Eistettensium Episcopus, Cœlorum Reginæ amantissimus, cujus honori celeberrimam Basilicam Eistettensem condidit, totamque Diœcesim tantæ Tutelari credens, ipsam potiùs præesse voluit, quàm ut ipse imperaret, cui etiam in morte deinceps addictus est, alter Ecclesiæ & Episcopatûs Patronus, quod maximis prodigijs sanctitatem ejusdem Deus fidelibus commendaret.

Fundatur hoc anno Monasterium S. MARIAE de Obona in Regno Asturicensi. De quo consulendus Ant. de Jepes. Chron. Bened.

783. 303. Belgium illustrat S. Ragenfredis Virgo & Abbatissa, quæ Regibus juncta sanguine, nihil dignius credidit quàm famulam esse Reginæ Reginarum, cujus gratiam ut emereretur, optimorum parentum ope Cœnobium ejusdem honori ac nomini condidit, in eoque sese emancipavit, & ipsa post mortem secundùm Deiparam loci Tutelaris cooptata.

785. 305. S. Beatus noster Hispanijs mirificè prodest, gravissimâ Elipandi Episcopi hæresi oppressa, & Deiparentis honore asserto, cujus Filium secundùm humanam naturam, non proprium Dei Filium fuisse & esse, impius contendebat. Cujus errores Beatus scripto insigni libro explosit & triumphavit.

786. 306. Aggreditur pari magnanimitate DEO ac Deiparæ injurium Elipandum S. Etherius noster, & nobili item libro Hæresiarcham confundit. Nec minùs meretur de Domina nostra Adosinda Regina, quæ scelus Elipandi primùm Beato & Etherio prodidit, eadem deinceps eam gratiam merita, ut in cucullo illustrior quàm Regno evaderet.

788. 308. Sub hoc verè tempus iterùm nova Divinæ Matri familia conscribitur, & à Plectrude Pipini Conjuge S. MARIAE in Capitolio conditum olim Cœnobium Coloniæ, illustrem Mariana-

Ann. Chr.	S.P.N.	

rianarum Virginum Coloniam meretur. Floret item florentissimum & prægnantissimum Marianis fructibus eadem in urbe B. M. V. Horreum, in quo octo seu novem Abbatissæ insigni sanctitate conspicuæ, raro sanè exemplo sibi invicem succèssere, ut de reliquo sanctarum Virginum numero, & meritorum hujus Horrei manipulis, facilè sit æstimare.

790. 310. Germanias Apostolicis meritis demeretur S. Willehadus Bremensis Archiepiscopus, lectissimus magni Germanorum Apostoli discipulus, Mariani Amoris Hæres, qui Apostolorum Reginæ & ipse insigne Trophæum erigens, Cathedralem ejusdem honori Bremensem Basilicam condidit, idem primus Episcopus, & præcipuus post magnam Matrem Sedis suæ Patronus à morte delectus.

791. 311. De Thesauro illo cælesti, Dono Deiparæ, concessâ olim S. Ildephonso nostro veste, iterùm & meritò sollicita Hispania, eam in D. Virginis Basilicam Ovetensem transfert, donec denique Victis Barbaris Toleto redderetur.

Eodem anno moritur egregius ille & alter Franconiæ post S. Kilianum Apostolus S. Burcardus, primus Herbipolensis Episcopus, magni Bonifacij & ipse discipulus, & in colendâ virginum Virgine pius æmulus, cujus honorem insigniter promovit, ejusque nomini plures Ecclesias, Cœnobia, & memorias erexit, sepultus in suo DEI Genitricis & S. Andreæ juxta Mœnum Cœnobio, in quo & vivens se condidit, suæque Dominæ inter Monachos servijt, quandocumque à laboribus Apostolicis vacare potuisset. Ipse etiam tertius post Dominam nostram Diœceseos Titularis salutatus.

793. 313. Hoc an[no vel] superiore anno Papiensis Universitatis Author præcipuus est Joannes Scotus noster, qui superiore anno cum Alcuino celeberrimæ Academiarum Parisiensis fundamenta jecerat. Fuit Joannes Venerabilis & sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Bedæ discipulus, Psalterij Mariani præcipui Præconis, cujus exemplo non tantùm à sacra, sed & prophana Cathedra

Cultum

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Cultum tantæ Matris videtur cum litteris, velut cum lacte Auditoribus instilasse.
794.	314.	Casinati Cœnobio novum ornamentum additur, Pauli cognomento Diaconi accessione, cujus operâ & studio habemus, impetrante id magno Carolo Lectiones plerasque Breviarij & multos etiam Hymnos, ut quæ hodie in honorem Dominæ legimus, etsi diversis è Doctoribus sumpta, omnia, recentioribus Festis exceptis, Paulo debeamus.
795.	315.	Iterùm Cathedralis Deiparæ Ecclesia, æternum Mariani amoris monimentum Paderbornensis nimirùm, Hathumaro debetur S. Burcardi discipulo, quamvis non desint, qui consecrationem hujus ad propiores morti magni Caroli annos differant.
796.	316.	Claret admirando vitæ fulgore Cultrix B. M. V. singularis S. Abundantia discipula S. Majoli nostri, ab infantia Dei amoribus assueta, ejusque Jesulo familiarissima, qui cum Infantula sibi flosculos afferente pomum aureum quod in imagine gestabat, permutavit. Eadem permittente S. Abbate ad Terram S. peregrinata, loco ubi B. M. V. Christo Crucem bajulanti occurrit, suo sanguine consignandum censens, ut verè Deiparæ condoleret, ibidem sese uncinis ferreis crudeliter excarnificavit.
797.	317.	Magni Doctoris nostri Alcuini magna merita: nos illa hoc solùm opere notamus, quæ Dominam nostram spectant, quale illud fuit: Auctorem fuisse votivæ de Virgine Matre Missæ, cùm Sabbathum huic sacrum vellet, & cæteras votivas, uti hodie celebrat Ecclesia, in suas Ferias quamque partiretur.
799.	319.	Ex ancillis Dominæ nostræ à secretis fuisse creditur, etsi vidua, Angelicam tamen cum marito ducens in conjugio vitam S. Ida nostra, Egberto Duci quondam, Caroli magni amicissimo copulata. Dehinc Virgini ita addicta, ut amori immortuam & sepultam, etiam dum viveret, diceres, quæ inclusorum rigidissimum sectata institutum, in Oratorio, quod jussu Angeli in honorem Dei Genitricis & S. Germani condiderat,

Ann. Chr.	S. P. N.	
		ſeſe incluſit, ſummæ gratiæ loco habens poſſe tali ſepulchro vivere, quod Oratorio adjaceret, quo à ſe honorari Cæli Regina voluiſſet.
800.	320.	S. Leo noſter eo nomine tertius Pont. Max. Orientale Imperium in Occidentem transfert, primumque Imperatorem renunciat Carolum Magnum, ſuo id in BENEDICTAM Ordinis, Matrem, BENEDICTUM Patrem amore meritum, cùm innumerabilia planè ſint, quæ in utrumque contulit beneficia, & innumerabiles planè Eccleſiæ & Monaſteria, in quæ profuſiſſimâ liberalitate penè prodigus videbatur. Quo ipſo ferè tempore plurimis jam in Cœnobijs per Galliarum imprimis Regna cœptum coli feſtum ſeptem gaudiorum Deiparæ, quod Uſuardus noſter, ejuſdem Caroli juſſu Martyrologium ſcribens, eidem inſeruit Nonis Maij jam tunc celebratum.
801.	321.	Iterùm potentiſſimi Epiſcopatûs initia à Monaſterio B. M. V. Mimigardenſi, per magnum item Carolum conſtructo, cui non multò poſt Civitas celeberrima, dicta à Monaſterio Monaſterienſis accrevit, potentiſſimo illic ad honorem Dominæ noſtræ Pontificato inſtituto, cui primus mira ſanctitate Epiſcopus Divus Ludgerus præſedit.
802.	322.	Tria potentiſſima, Deiparæ ſacra per Germaniam Cœnobia, Scholas publicas ſummo plauſu & bono Germaniæ aperiunt, Fuldenſe, Augienſe, & Sangallenſe, à quibus totæ dein litteratorum cohortes, magni Pontifices, cultiſſimi litteris etiam Principes, & imprimis Viri ſanctitate non minùs quàm eruditione inſignes, ſummi Deiparæ Cultores prodière.
804.	324.	Moritur B. Hatumarius noſter, primus Paderbornenſis Epiſcopus, S. Burcardi diſcipulus, in molitione novæ ad honorem Deiparæ Baſilicæ, cùm ab impijs priorem ſacrilegè exuri magno cum dolore conſpexiſſet, Vir Apoſtolicus, & qui, ſi ita viſum Numini fuiſſet, caput mille periculis pro aſſerendâ veritate, objiciens.
		Ipſo item anno vitam mortalem deſerit S. Anſelmus, Dux Foro-Julienſi mille centum & quadraginta quatuor Monachorum,

Ann. Chr.	S.P.N.	
		chorum, in suo quod condiderat magnæ Matris Nonantulano Cœnobio Abbas, de quo superiùs etiam suo loco.
		Moritur mirabilis illa & compatientissima Deiparæ S. Abundantia, Divi Majoli discipula, magna Spoleti gloria, campanis ultrò consonantibus, mense Januario, quacunque funus ferebatur campis illico germinantibus, auditâ cælesti Musica: Veni Sponsa Christi &c. loco mortis officinam aromatum redolente, plurimis prodidiosè curatis.
806.	326.	Claret insigni sanctitatis famâ S. Deo-carus Abbas Hasenrietanus, Sacellanus quondam Caroli magni Imp. qui ejusdem Augusti ope templum cum Monasterio seu Cella construit, magnæ Matris honori ac nomini nuncupatum, ubi tantæ Dominæ servitio se totum devovens, magnis deinceps miraculis illustratus; Cœnobio dein oppidum accrevit, Herrenriedam hodie vocant, quod à Domina nostra potiùs fuisset appellandum, ducta à Domesticis Marianis nomenclaturâ, cùm Monachi olim vulgò Domini dicerentur.
807.	327.	Plurima Cœnobia nostris condit sub hoc ipsum tempus Ludovicus Aquitaniæ Rex, Caroli filius, quæ inter Monasterium S. Mariæ Nirubidense, & alterum S. MARTAE, vulgò Guellare, ab Aymonino celebrantur.
809.	329.	Occumbit in terris, Cœlo oritur illustrissimus Germaniæ Phœbus, sanctissimus Saxonum & Frisiorum Apostolus, primus Monasteriensis Episcopus, S. Ludgerus, Deiparæ charissimus, cujus honori dum Cœnobium apud Werdam moliretur, & operarij in purgando loco penè animum desponderent, precibus ille suis metuendæ tempestatis vim cælo deducens impetravit, ut ventorum violentiâ annosæ convulsæ arbores locum condendo tantæ Dominæ Monasterio aperirent, & cederent: qui ipse locus eidem divinitùs demonstratus in ipsius Epitaphio Werdeæ legitur.
810.	330.	Iterùm triumphatæ Gentilitatis Trophæum Deiparæ sacratur ab Ossio Comite recèns ad Christum converso, qui sub hoc ipsum tempus Imperij magni Caroli, ejurato dæmonum cul-

Ann. Chr. | S.P.N.

tu, Cælitum Imperatrici Cœnobium à se deinceps Ossiacense in Carinthia condidit, ibidem cum Irenburga Conjuge sua tumulatus.

812. 332. Alcuinus noster, Matris Sapientiæ devotissimus Cliens, litterarum studia, summo universi bono propagans, author est Carolo magno, ut per singula Monasteria & Episcopia Scholæ publicæ instituerentur, *cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli*, inquit vetustissimus Author Monachus Sangallensis, *antiquis Romanis, seu Atheniensibus æquarentur*.

814. 334. Mortalitatem exuit ad immortalia Regna conscendens meritissimus in terris de Cælorum Regina Carolus Magnus Imperator *Ter Maximus*, applausu Baronij celebratus, qui uti in Regia Augustus, sic in Choro & Cœnobio Monachus, innumeras penè magnæ Matri toto Imperio struxit memorias, pro Principe benè usu Monachi nostri, si unquam alias Dominæ & Tutelaris suæ nomen & gloriam, cum propagatione Christianæ Fidei, longè lateque promoverunt.

815. 335. Celeberrimum illud Hispaniæ Monasterium S. MARIÆ Regalis de Yrache conditur, cujus grandes prærogativæ & splendor ab Antonio nostro de Yepes prolixè admodum describuntur.

816. 336. Moritur S. Leo III. Imperij Occidentalis Restitutor, magnæ Virginis amantissimus, cujus honori variè consuluit, ejusque Ecclesias ornavit ac restauravit. Sed ante omnia pio ergà Litanias affectu, quibus Domina nostra trinâ post SS. Trinitatem invocatione honoratur, de eâdem optimè meritus, eas triduo ante Ascensionem solemni supplicatione cantari instituit.

Eodem anno Haytho ex Monacho Monasterij B. M. V. Augiensis Basileensis Episcopus: magnæ Matri insigne sui amoris condens monimentum, Cathedralem Basileæ Basilicam, magnâ mole ac sumptu eductam & absolutam, ejusdem honori ac nomini solemnissimè consecrat.

Sub

817. 337. Sub hoc ferè tempus Ludovicus Pius Imperator condit Monasterium B. M. V. Wormatiæ.

818. 338. S. Paschalis I. è Monacho S. Stephani in urbe, Pontifex Max. Cælorum Reginam ac Cælites omnes strenuè demeretur, contra Iconomachos in Oriente rem fortiter agens, cujus industriam & gloriam Encomiastes sincerissimus in ipso Oriente, datis ad illum litteris mirificè commendat magnus ille Theodorus cognomento Studita, sic inter alia scribens: *Vos illimis ac sincerus ab initio fons Orthodoxæ veritatis, vos adversus omnem Hæreticam procellam tranquillus sepositus portus Ecclesiæ universæ.*

820. 340. S. Meginradus sive Meinradus Comes Solgoviæ studiorum gratiâ ad Marianam nostram Divitis Augiæ Scholam à parentibus missus, tantæ Dominæ perpetuò servire gestiens, cucullum exambit, & dein meretur, futurus olim strenuus Mariani Cultûs suo exemplo propagator; ut cui, quod suo videbimus loco, Einsidlensis illius Sacelli toto Imperio spectatissimi, structio, & Deiparæ tot sæculis derivatus in posteros cultus debeatur, & verò etiamnum ingenti peregrinorum concursu Cælorum illic Reginæ exhibeatur.

821. 341. S. Ansgarij conversione insigne admodum hoc tempus, quo nobilissimum Virum Corbeja excepit, florentissimum hoc tempore Monasterium, qui totus Deiparæ à prima ætate fuit, quæ & puerulum etiamnum suo aspectu & colloquio dignata, Matrem se eidem & Magistram exhibuit, cùm puerilibus fortè jocis delectaretur, ut ab ejusmodi abstineret commonens: visa siquidem ipsi de nocte quandoque cum insigni candidatarum comitatu, quàm inter & Mater ejus jam defuncta apparebat, sic puerum alloquuta est: *Fili*, inquit, *vis ad Matrem tuam venire?* Cui cùm ille respondisset, inhianter se velle, rursus Domina nostra retulit: *Si nostræ societatis particeps esse volueris, omnem debes vanitatem fugere, & jocos pueriles dimittere, ac teipsum in gravitate vitæ custodire. Valde enim nos detestamur omnia quæ vana & jocosa sunt, nec potest in nostro conventu esse, quicunq;*

Ann. Chr.	S. P. N.	
		his fuerit delectatus. Profecit illico in virilem maturitatem tantæ Magistræ monitis sanctus Puer, & non multò post cucullum exambijt, ex discipulo Apostolorum Magistræ, totius postea futurus Apostolus Septentrionis.
822.	342.	Iterùm illustre admodum Cælorum Augustæ à nostris erigitur monimentum, Cœnobium S. MARIAE de Aguilar, de quo hoc ipso anno consulendus Jepesius.
824.	344.	Morte S. Paschalis I. Pont. Max. tristis urbi & Orbi annus, cœlo plausibili, cùm sui honoris vindicem Regina Cæli & Cælites magno gaudio exciperent, quos tanta cum industria & magnanimitate, ipse contra Iconoclastas tam feliciter propugnasset.
828.	348.	Plurimis Concilijs celebratis Orbem Christianum mirificè demeretur S. Gregorius IV. ex Monacho Fossæ Novæ Pontifex Maximus, qui Calendas Novembris Deiparæ & Sanctorum Omnium honori sacras voluit, & ut dies illa festivè ab universis celebraretur, Fidelibus decrevit.
830.	350.	Moritur sub hoc ferè tempus S. Meinulphus noster Paderbornensis Cathedralis Ecclesiæ Monachus & Diaconus, qui quantùm apud Deiparam posset, etiam à morte ostendit, quando in feretro inter exequias proprias spectantibus universis se erigens, hæc pro suo, quod sacris Virginibus nostris condiderat Cœnobio, redivivus peroravit: *Vos gratias agatis Deo*, inquit, *quorum salutis causâ id fit, & ego, ut fieret, apud Dei Genitricem & Virginem perpetuam impetravi. Vos autem ite ad Episcopum, & quot sudoribus mihi constiterit hujus Cœnobij structura, ei indicantes, petite ab illo, ut quacunq; hujus loci fuerit electa Abbatissa, etiamsi ancilla sit, non ei interdicat: simulq; dicite ei, me corpore exutum didicisse, quid de illis fieri oporteat, qui Pastores Ecclesiarum esse videntur.* Quibus dictis denuò requievit, deinceps etiam, ut in vita, miraculorum gloriâ commendatus.
833.	353.	Magnus jam Apostolus Septentrionis factus, lectissimus ille Magistræ Apostolorum discipulus S. Angarius, cum fide Christianâ, ejus quam unicè dilexit Dominæ suæ honorem latè

pro-

Ann. Chr. S. P. N. promovet; plurimis memoriæ ejus per diversas provincias & regna constructis monimentis; & devictæ ope ejusdem peculiari Gentilitatis illustribus Trophæis.

835. 355. Gregorius noster IV. urbis Pontifex, quod instituerat Sanctorum omnium festum, etiam proprio à se composito officio ornat, primas tenente post Filium Matre Dei, cujus alterum primi Nocturni Responsorium ita habet; *Beata es Virgo Dei Genitrix, &c. Intercede pro nobis &c. Ave Maria.*

836. 356. Moritur Doctor ille Doctorum, magnus ille Alcuinus, Cultûs Mariani Promotor insignis, Missæ votivæ in Sabbatho, ut diximus, Author, & multis alijs titulis de Domina sua ac nostra meritissimus, mirandis à Domino prodigijs commendatissimus, qui alia inter Archiducis sui BENEDICTI exemplo, universam mundi machinam sub exiguo collectam circulo intueri meruit.

838. 358. Hirsaugiensis Cœnobij longè illustrissimi sub hoc tempus celebrantur initia, Regiæ sanè domus Cœlorum in terris quoque imperantis Reginæ, in qua multis deinceps sæculis comprobavit, in plenitudine Sanctorum eam revera habitationem suam esse, è qua tot ac tanti posteà Pastores, Doctores, & sancti Pontifices summo Germaniæ bono prodiêre. Conditur eodem anno Cisonium B. M. V. ab Eberhardo Comite.

840. 360. Belgium illuminat sanctitatis fulgoribus S. Aldetrudis nostra, Virgo & Abbatissa, ex Hannoniæ Comite potentissima, humillima Ancilla Dei Matris, quæ sanctam Adelgundem Materteram Deiparenti unicè charam (ut quæ copiam ipsi fecerat, quæcunque vellet petendi & impetrandi) Magistram sanctitatis, in eo quod Dominæ suæ condiderat Cœnobio, nacta, tantùm ejus exemplo, Dominæ auxilio profecit, ut Mariani ejusdem deinceps cœtûs Materfamilias esse meruerit.

842. 362. Maximis Doctoribus Germania illustratur quos inter Rhabanus Monachus & Abbas B. M. V. Fuldensis, Alcuini quondam discipulus, (*Cui*, Gretsero teste, *nec Italia similem, nec Germania æqualem peperit.* Idem non minùs Magistro Sapientiæ

Ma-

Ann. Chr. | S. P. N. Matrem summâ devotione colens, cujus vel unicum de eadem Oraculum apponere placuit: Per te O Virgo, inquit, lux totius mundi, natus est Christus. Quemadmodum fuit per Evæ transgressionem in tenebris & umbra mortis & æternæ damnationis, ita etiam per merita & partum tuum, O Virgo sacratissima, liberata & sanctificata atque illuminata est omnis terra. Tu es illa Virgo gloriosissima, exaltata super omnes Choros Angelorum, cui dedit DEUS Omnipotens excellentissimam gloriam, in propinquissima sibi assistentia, in faciali sua præsentia, in visione clarissima, & in sui fruitione perfectissima, &c. Ut ex his facilè de cæteris tanti Doctoris omineris.

843. 363. Gregorius IV. Pont. Max. ad Augustiorem æternitatis thronum subvehitur, qui præter alia merita summopere coluit Basilicam beatissimæ Matris Virginis trans-Tyberim, ubi & Monasterium ejusdem honori condidit, & insigni cœtu Monachorum, qui & Canonici essent, aggregavit, qui tantæ Dominæ pro dignitate deservirent.

844. 364. Iterùm potentissimi Archiepiscopatûs initia nostris debentur, Bremensis nimirùm, illi magno magnæ Magistræ discipulo, S. Ansgario Corbeiensi Monacho, cui nil potiùs fuit, quàm cum Christi Fide, amorem Matris ejusdem, Orbi & Novellis Christi Alumnis commendare.

Moritur eodem anno Alphonsus cognomento Castus Asturum & Legionis Rex potentissimus, è Monasterio S. Facundi ad Regnum extractus, Cliens Virginum Virginis devotissimus, qui Virgo Cœnobium ingressus, egressus cum uno & quadraginta annis imperasset, Virgo in ævum permansit, prælijs contra Mauros Virginis Matris hostes fortunatissimus.

847. 367. Creatur Pontifex Max. miro omnium consensu S. Leo eo nomine IV. SS. Silvestri & Martini Monachus, qui grandibus miraculis Pontificatum inchoat & auspicatur, gravissimo incendio à Basilica S. Petri, solo Crucis signo, averso & Basilisco pestilentissimo afflatu urbem inficiente prodigiosè extincto. Quæ duo miracula, quod ipso festo Assumptionis B. M. V.

& die

Ann. Chr. S.P.N. & die ejus Octavâ perpetrata fuerint, ipse Tutelari suæ Dominæ nostræ quasi assignans, præcepit ut dies ille festus & solemnis cum Octava, ut vocant, deinceps celebraretur.

848. 368. Rhabanus Abbas priore anno electus Moguntiæ Archiepiscopus, servus magnæ Matris devotissimus, maximis meritis Ecclesiam demeretur, & hoc anno Concilium Moguntiæ celebrans Gotscalci Hæresim triumphat & Germaniâ eliminat.

849. 369. Alios Deiparæ hostes, quos Rhabanus scripto & verbo, ipse ferro debellat S. Leo noster IV. qui Saracenis Navali pugnâ ad Ostia Tyberina victis, insignem refert victoriam, quàm proculdubio, ut alia consuevit, Triumphatrici Reginæ & Dominæ suæ in acceptis retulit & adscripsit.

850. 370. Nobilitat hunc annum illustri Martyrio S. Perfectus, Cordubensis Cœnobij S. Acisch Monachus, qui Deiparam ejusque Filium insigni confessione demeritus, cùm hunc omninò Dei & Virginis simul Matris Filium constantissimè prædicaret, à juratis Marianæ Virginitatis hostibus Saracenis, post multos captivitatis menses capite imminutus Martyrij Laureâ coronatus est.

851. 371. Eadem ex causa, qua Acisclus superiore anno, patiuntur lectissimi alij Martyres Mariani hoc anno, SS. Isaac, Petrus, Walabonsus, Sabinianus Wistræmandus, Evencius, Hieremias, Theodomirus, Maria, & Flora &c. omnes Virginis Matris ut cultores eximij, ita & tanti tituli contra hostes Mariani nominis Saracenos, felicissimi assertores, suoque sanguine Veritatis testes, veri Martyres, quos dein sequentibus annis plures consequuti sunt.

852. 372. Walafridus Strabo claret, Orbi universo relictis ingenij monimentis notissimis, ad Divi Galli Monachum, ut certior conjectura est, professus, Scholarum Marianarum Fuldæ Professor, Abbas deniqùe Marianus in Augia B. M. V. Divite factus, qui post tot Commentarios in omnes ferè libros Scripturæ editos, ut in negotio Mariano cui tot annos servierat, mo-

Ann. Chr.	S. P. N.	
		reretur, in Annalibus denique Fuldensibus vitam abrupit.
853.	373.	Supremus hic annus magno illi Ecclesiæ, & Germaniæ nostræ Syderi, B. Haymoni, ex Monacho Fuldensi Halberstattensi Episcopo, qui Scripturam & ipse penè universam Commentarijs illustrans, ipse illustrissimus evasit, Matris Sapientiæ cultu & amore super omnia alia extollendus, cujus & dilecti illius Canticum illud Canticorum pulcherrimè explanavit, & in suo in Apocalypsim Commentario non contentus ipse amore tantæ Virginis deflagrare, nisi & alios accenderet. *O quàm gaudens*, exclamat, *est ejus obitus, qui MARIÆ dum viveret, sedulus fuit & devotus &c.*
855.	375.	Lugente Ecclesiâ universâ Mortalibus valedicit S. Leo IV. Pont. Max. qui præter Assumptionis B. M. V. Octavam institutam, præter Saracenos, præter Hæreticos Deiparæ hostes debellatos atque oppressos, multo prætereà nomine Dominam demeritus, Basilicam imprimis ejusdem vulgò Majorem dictam, donis & argento & auro plurimis cumulavit.
856.	376.	Magnus ille Rhabanus Maurus è Fuldensi Monacho, litterarum publico Professore & ejusdem loci Abbate, Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopus, litteratorum Jubar, nec minor sanctitate quàm eruditione, felicissimo transitu Cælis immigrat, qui immenso, ut Brovverus loquitur, captu, vastoque librorum complexu docendo, dictando, scribendoque, Divinos apices, totis dispersis Bibliorum membris rimatus, portentosi, ac fœcundissimi ingenij merito, nescias utrum illi plùs decoris librorum conscriptorum auctoritas, quàm profundæ atque inexhaustæ mentis admirabilitas adjecerit &c. Ita Rhabanus, de cujus ergà Deiparentem affectu jam supra satis, quem non tam aliorum Magistrum incomparabilem, quàm Doctorum omnium & Apostolorum Magistræ discipulum admiramur, & veneramur: Expositionis sacræ scripturæ quæ Isogrammatica, sive æquilitteralis vocatur, Inventorem.

Ni-

Ann. Chr.	S.P.N.	
858.	378.	Nicolaus I. è Monacho Pont. Max., Pontificatum Cælitum Reginæ honoribus auſpicatur, & inſignem facit, S. MARIAE Veteris, ut vocabant, Baſilicâ, Novam condens.
860.	380.	Magnus Septentrionis Apoſtolus Divus Anſgarius, Magiſtræ ſuæ honori per diverſa Regna conſulit, & apud Danos, Friſios, Nordalbingos, alioſque populos diverſiſſimas tantæ Dominæ Baſilicas & memorias condit.
861.	381.	Floret jam magnâ miraculorum gloriâ in Monaſterio noſtro Vallis Venariæ prodigioſiſſima B. M. V. Statua, cujus laudes deſcripſit R. P. Gregorius Bravus. in Hiſt. Vall. Ven. & inter alia miracula refert octodecim mortuorum reſuſcitationem.
863.	383.	S. Meinradus Comes de Sulgen Augiæ Divitis Monachus, cùm in eremo, quam hodie Einſidlenſem vocant, magnæ Matri acceptiſſimum condidiſſet, Oratorium, & annos viginti quinque eidem illic dies noctelque fideliſſimè devotiſſimeque ſervijſſet, ſervitium denique ſuum ſuo ſanguine conſecrat, illic ad Oratorium Dominæ ſuæ interemptus, quem deinceps locum Deipara ſibi ut proprium delegit, dilexitque tantopere, ut plenè immigraſſe videatur, Filio ejuſdem Chriſto JESU tam gratam Matri ſuæ habitationem, per ſeipſum deinceps ſolemniſſime conſecrante, ut ſuo loco videbimus.
864.	384.	Transfertur hoc anno ſolemni Pompâ Corpus S. Othmari Abbatis, cultoris beatiſſimæ Virginis præcipui, & ejuſdem Cænobij præſtantiſſimi Reſtitutoris, per Salomonem de Ramſvvag, ex ejuſdem loci Abbate, Conſtantienſem Epiſcopum.
865.	385.	Sol ille meridianus Septentrionis S. Anſgarius, ſive Anſcharius Bremenſis ex Monacho Corbejenſi & Hamburgenſis Archiepiſcopus, magnus Daniæ, Sueciæ, Gotthiæ, Septentrionalium omnium Regnorum Apoſtolus, terris occidit, cælo oritur, cùm id DEUM oraſſet, ut ad Feſtum Dominæ ſuæ Purificationis moreretur, & ad Altare ejuſdem Cereum lectioris

 ceræ

ceræ accendi imperasset, postridiè magnâ Spiritûs consolatione extinctus.

866. 386. Canticum Musicum variâ modulatione primus invenit & componit, Joannes Monachus, Rhabani discipulus, cui varia deinceps debentur in honorem Cælitum Reginæ Cantica, à Fuldensibus cumprimis & vetustiori Ecclesia ad laudes Dominæ suæ decantata.

867. 387. Moritur hoc anno Cultor B.^{mæ} Matris Virginis singularis, Nicolaus I. Pont. Max. de cujus vix adito Pontificatu ergà Deiparam studio, jam superiùs diximus, & verò ex sanctitate Viri apparet, studia tam digna & merita crevisse potiùs quàm decrevisse, cujus acta uberiùs descripta desideramus.

869. 389. Concilium VIII. Generale celebratur Constantinopoli auctoritate Adriani II. è Monacho Canonico Ord. nostri Romani Pontificis, præsentibus ejus Legatis, quo idem Pontifex egregiè causam Deiparæ & Cælitum agit, asserto religiosissimo imaginum cultu, eoque promoto, & imperato.

870. 390. Memorabili & stupendo ad omnem æternitatem exemplo, Marianus Virginum nostrarum cœtus Cœnobij Collinghamensis, Virginum Virginis & ejusdem intaminatissimæ servandæ Virginitatis studio rem stupendam, plus quàm virili magnanimitate aggreditur: Cùm Regijgeneris Virgo Ebba sanctissima Abbatissa, Ethelfridi Nothombriæ Regis Filia, Danis Angliam invadentibus; & pudicitiæ non minùs quàm Regno bella parantibus, nasum proprium cum superiore labro præscindens, horrendum de se spectaculum præbuit, reliquis exemplum Abbatissæ universis consequentibus, quo attoniti hostes simulque irritati Cœnobium simul cum tanta Virginum triumphantium Legione incendentes holocaustum Cœlo gratissimum transmisêre.

871. 391. Inter spectatissimos Divi Rhabani nostri discipulos, superstes etiamnum Hartmundus S. Galli Monachus, Græcè, Latinè, & Hebraicè doctus, nec Arabicæ ignarus linguæ, Helve-

tiam

Ann. Chr. S.P.N. tiam non parum illustrat, Deiparæ, cujus in domo Sangallensi, cælo natus, Fuldæ institutus est, cultu præcipuo honorans, alia inter, in suis metro scriptis Litaniis, post SS. Trinitatem, nescius quo majore titulo Dominam tantam honoraret, alios quidem compellans suis nominibus Divos;

Ipsa (inquit) DEI Genitrix, Reparatrix inclyta mundi,
Quæ Dominum casto corpore concipiens,
Perpetuâ radians cum Virginitate pudoris
Indignos famulos Virgo MARIA tuos, &c.

Respice, scilicet, quasi qui advocans in cælis ad terras Cælites, illud quoque confidentiâ in DEI Matrem auderet ac præsumeret, ut ipsam quoque DEI Matrem interpellare non vereretur.

872. 392. Moritur Grimaldus S. Galli Abbas, conditus in sua quàm DEI Parentis honori de novo struxerat Basilica, honoratus Epitaphio, dictante Heppidanno, & suis inserente Annalibus:

Hîc manet interiùs Divinæ Legis Amator
Grimoldus humilis, templum hoc qui condere jussit.

Perfecit velut alter Salomon Davidis conatus Hartmuotus Successor, Rudolphi Burgundionum Regis cognatus, non minùs quàm ille Cælorum Augustæ obsequio addictus, Illustribus Ordinis nostri per Germaniam Viris merito suo accensendus.

873. 393. Admirabili gratiâ se gentibus commendat alter à magno Ansgario Septentrionis Apostolus S. Rembertus, ejusdem sui Magistri in cultu Mariano strenuus Æmulator, qui sub hoc tempus Doctoris sui vitam scribens, Magistræ tantæ cum in pueritia tanti Præsulis meruit, tum sub mortem quæsitum singulariter ejusdem Patrocinium scriptâ ejus vitâ consignavit.

875. 395. S. Autridus relicto Episcopatu Monasterium in monte nostræ Dominæ propè Amerfurd condens, in eo se abdidit.

876. 396. Carolus Calvus Imperator Monasterium B.M.V. Compendij exstruit, & insigniter dotat, quod posteà S. Cornelij est appellatum.

877. 397. Moritur S. Altfridus Hildesianus, ex Monacho Corbejensi Episcopus, qui Cathedram suam maximis virtutibus & meritis implevit, eaque inter Cathedralem Basilicam, sumptu, mole, & opere longè splendissimam 26. annorum spatio ad supremum laquear deduxit, eamque Magistri & sui Apostolatus Magistræ, Cælitum Reginæ nomini & honori dedicàvit. Idem multis alijs meritis se Dominæ commendans, plurimas memorias eidem condidit, Essense Virginum, Selgenstadense, & Asuedense Monasteria à fundamentis excitavit.

879. 399. Fuldense & Augiense utrumque magnæ Matrisfamilias propria Cœnobia, illustrium virorum magnam copiam producunt, è quibus plurimi ad Pontificales assumpti Cathedras, Germaniæ, imò Ecclesiæ universæ consulunt.

880. 400. Multus SS. numerus in Cœnobio B.M.V. Sangallensi, tantus quidem, ut ducenti subinde, trecentique sanctitatis opinione celebres in Parthenio illo Sodalium numero convixisse memorentur. Hoc ipso anno, alios inter, nobilis ternarius SS. Notkeri, Ratperti, & Tutelonis, Virorum genere Principum, eruditione præcipuorum maximè elucescit, è quibus Tutelo Cultor Deiparæ singularis fuit, de quo suo loco plura suggeremus.

882. 402. Psalterij Mariani usum per Venerabilem Bedam totâ Britanniâ propagatum, insignis mox fructus consequutus, seges nimirùm Martyrum insignis, Regina Martyrum in innumeris penè suis pugilibus triumphante, cum Danis Angliam vastantibus totæ è diversis Cœnobijs cohortes, ad triumphos Dominæ suæ æternos, laureâ Martyrij donati, conscenderent.

883. 403. Quâ ipsâ occasione, bono publico multi etiam servati ex consilio Domini de civitate in civitatem fugientes, in Gallias & Italias penetrârunt, & cum litteris cultum quoque Dominæ suæ professi, Psalterium ejusdem, seu de novo prædicârunt, sive remissiorem jam usum revocârunt, & grandi cum merito & fructu restituerunt.

Tran-

884. 404. Truncinienſe B. M. V. illuſtre Monaſterium, per Balduinum cognomento Calvum, Flandriæ Comitem reſtauratur.

885. 405. Inæſtimabili fructu, nova & ampliſſima Congregatio quædam Mariana in Cœnobio B. M. V. Augiæ Divitis, mox & Sangallenſi inſtituitur, quæ Fratrum Conſcriptorum vulgò dicta, à præcipuis verè viris Principibus, Cæſaribus, Regibus ortum trahens, incredibiliter deinceps dilatata eſt, cum maximi quivis Principes & Magnates, reverentiâ tot Sanctorum in iiſdem Cœnobiis commorantium ducti, participio frui meritorum exambirent, tantis Magiſtris ſe ſubmitterent, & certis conditionibus ad Congregationem illam admiſſi, conſcriberentur.

887. 407. Cœnobium inſigne ſub hoc tempus in Rivipullenſi pago à Wifrido Barcinonenſi Comite ad honorem Cælitum Imperatricis conditur, & Daginus Abbas eidem præficitur.

888. 408. Moritur inſignis ille & alter à S. Anſgario Septentrionis Apoſtolus S. Rembertus, amoribus Deiparæ à tanto Magiſtro innutritus. Encomiaſtes tantæ Matris ferventiſſimus, cujus amorem innumeris penè à ſe ad Chriſtiana perductis Sacra, inſtillavit, & Bremenſem B. M. V. Cathedram variè auxit & exornavit.

890. 410. Initium longè celeberrimi illius in orbe Chriſtiano Monaſterij beatiſſimæ Virginis in monte Serrato celebratur, repertâ hoc anno Statuâ beatiſſimæ Virginis ab opilionibus, quàm inſolentiſſimis prodigijs Cælites prodere viſi ſunt, cujus in hodiernum uſque diem beneficia Europam eodem univerſam invitant.

891. 411. Peloius Barcinonenſis Comes Deiparam in tanta Imagine veneraturus, inſigne illic Virginum Virgini molitur Monaſterium pro ſacro Virginum Cœtu, quæ illic Dominam tantam cultu perpetuo honorarent.

893. 413. Claret B. memoriæ Salomon Epiſcopus Conſtantienſis Comes de Ramſvvag, Abbas Sangallenſis, Deiparentis longè amantiſſimus, cujus honorem inſigniter promovit, ab eadem

pecu-

Ann. Chr. | S.P.N. | peculiarius amari visus, cùm ob merita ad diversas regendas Abbatias expetitus, duodecim simul Monasterijs præesset, quæ pleraque ex ijs ominamur fuisse, quæ Cælitum Reginæ nomini S. Pirminium struxisse sæculo superiore memoravimus.

894. 414. Absolutum sub hunc ferè annum Montis Serrati per Peloium Barcinonensem Comitem Cœnobium, opinio est, & inducto sacrarum Virginum Benedictinarum cœtu, proventibus instructum, cui Pelagia ejusdem Comitis Filia præfecta est, eadem quam à mortuis S. Guarinus eremita excitavit, ut facilè ominari sit, quantùm per ejusmodi redivivam honor Deiparæ promotus sit, quantumque sub tanta Abbatissa Marianum illud Gynecceum profecerit.

Eodem ipso anno (an quod alij volunt 910.) teste Ferreolo Locrino, Ordo Cluniacensis, sub honore Virginum Virginis instituitur, ejusque sibi Tutelam seligit & exambit.

896. 416. B. Tutelo, è Comite an Principe Monachus Sangallensis, Divinæ Matris Cultor eximius, floret; eruditione non minùs quàm sanctitate longè illustrissimus, sed & artifex per omnia admirandus, Virginis Almificæ Pictor in vetustissimo elogio appellatus, idem Sculptor, Scalptor, & Cælator insignis, magnæ Matris iconibus conficiendis tantopere delectatus, ut in ijsdem omne ingenium exhausisse videretur.

898. 418. Clarissimis sanctitatis fulgoribus Germaniam implet S. Ratbodus noster Trajectensis Episcopus Regio genere ortus, Frisiorum lectissimus Apostolus, Cælitum Imperatrici devotissimus, uti ipsamet testari dignata est, testis utique omni exceptione major. Cùm enim ad ipsum quandoque ægrotantem familiarius inviseret, & materno affectu solaretur, ipse autem indignitatem fortè accusans suam, subtimeret nonnihil: *Ne timeas,* inquit magna Virgo, *certus te eam intueri, cui crebrò preces offers. Non ego te dedignor meâ præsentiâ, cujus in tuis precibus frequenter memoriam usurpas.* Quibus dictis sanitatem quamprimùm eidem restituit, & mirâ cælestis odoris fragrantiâ locum implens, ex oculis Ratbodi evanuit.

Iterùm

900. 420. Iterum Parthenius Benedictæ Matri & Virgini cætus, illustrissimum Cæli Reginæ Gynecæum conditur, ab Adelberto, Rudigero, & Walthero Schelcklingæ Comitibus, Fundatore præcipuo Hugobaldo Dilingæ & Kyburgi Comite, loco, quem usque à lympidissimæ aquæ Scaturigine, Urspringen appellant; quemque à Puteo aquarum viventium meliùs derivaverim, perennibus sanè aquis nobilem, summo Nobilitatis Suevitæ flore, ad hos decursus aquarum usque hodie perennante, & nobilissimis quibusque Virginibus, tantæ se Dominæ Ancillulas profitentibus, & verò etiam glorantibus.

901. 421. Lacteus ille magnæ Virginis Cliens, S. Udalricus Augustanus posteà Pontifex, puerulus etiamnum ad Monasterium B.V Sangallense missus, in litteras juxta & pietatem totus incumbit, præter amantissimos Deiparæ Adalberonem Patruum, & Notkerum magnum avunculum, quos Magistros est nactus, S. Wiboradam inclusam pro Matre & Magistra agnoscens, quæ S. MARIAE Augustam Ecclesiam ipsi credendam præsciverat, prædixeratque, multisque contra Virginitatis hostes remedijs, Sanctulum, jam tunc vulgò dictum, puerulum obarmaverat.

903. 423. Nonantulanum proximo sæculo dixeramus conditum magnæ Virginis honori ac nomini Cœnobium, à S. Anselmo Foro-Juliensium Duce, Principe Deiparentis longè amantissimo, qui & seipsum tantæ Dominæ devovens, mille centum & quadraginta quatuor, primus ipse Abbas illic Deiparæ domesticos congregârit. Tantus hoc anno, an jam major annis & incremento Cœnobij numerus, Reginæ Martyrum ad aras cecidit, cùm Barbari eas oras vastarent, Monachis passim, quos securiores repererant & oppresserant, interemptis.

905. 425. Moritur hoc anno meritissimus de Orbe Christiano Pontifex Joannes IX. postquàm memorabili fructu fidelium, brevi Pontificatu, tria tamen Concilia celebrasset, & Iconoclastarum furorem aliarumque Hæresim conatus oppressisset, Sanctarum Imaginum cultu, æterno cum Deiparæ honore, & Cæ-

Ann. Chr. S.P.N.

litum omnium plausu asserto & commendato.

906. 426. Memoranda, per occasionem tristissimi casûs, Monachorum in consulendo Orbi, per conquisitionem scriptionemque innumerabilium voluminum, religiosissima sedulitas, cùm hoc ipso anno Novaliciense Cœnobium à Barbaris exustum, illustrissimam quoque Bibliothecam pari infortunio involveret, relatis ejusdem in cathologum libris sex millibus, sexcentis MSS.[tis] super quorum cineribus nemo eruditorum est, qui non etiam hodie ingemiscat, ut ab una hac Bibliotheca, ante tot maximè sæcula adeò jam tunc celebri, facilè omineris quantùm tot millia Monasteriorum Orbis posteritati thesaurum servaverint. Quantusque numerus eorum solummodò voluminum sit, qui Dominæ nostræ elogia & honorem cultumque continent, periturorum proculdubio tanto decursu temporum, nisi colligendorum librorum studium apud solos ferè Monachos, olim perseverasset, & verò nunc etiam Orbi se proderet.

907. 427. Tutelonis Sangallensis è Principe an Comite, Monachi, memoranda hoc anno felicitas, etsi proditum se homo sanctissimus indignissimè ferret, qui latere maluerat. Cum enim Metas, rogante, ut videtur Episcopo, missus, pro admirabili sua in formandis Deiparæ imaginibus gratia, illic in Basilica Cathedrali studium suum exerceret, prodentibus Clientem Dominæ suæ Angelis duobus, qui specie peregrinorum panem ab ipso rogaverant & acceperant, visa est Cælitum Augusta juxta ipsum, dum pingeret, assidere, & colores ministrare, radiumque, sic vocant veteres, manibus, dum eo uteretur, sustinere; Angelis ubi prodidissent, illicò evanescentibus, cùm prodentibus impatientior ipse exprobraret, & mox imperfecto relicto opere urbem & gloriam fugiens, in Helvetiam recurreret. Res mira! dolentibus imperfecto opere, tantum Magistrum aufugisse, crastinâ opus absolutum apparuit, cum hac cælesti inscriptione.

Hoc Panthema pia perfecerat ipsa Maria.

908. 428. Salomon Constantiensis ad Rhenum & Acronium è Monacho

Ann. Chr. S. P. N. cho Sangallensi Episcopus, Deiparæ cultor ferventissimus, ampliatâ spectatissimâ urbe alter ipsius post Constantium Constantini magni Patrem Conditor habetur, idem multò nomine de Cathedrali Dominæ nostræ Ecclesia meritus, ut vix quisquam Pontificum tantum meruerit.

909. 429. Divo Tuteloni supremus hic annus fuit, mortali planè immortali, si ea solùm spectes quæ cultûs sui Mariani Orbi reliquit monimenta, in ebore, cupro, argento, auro, vivis coloribus Dominam suam, velut alter Lucas, commendatam ab eximia gratia & venustate, Orbi universo volens, & verò etiam tantâ felicitate exprimens, ut haud dubites, ipsammet gratiosissimâ suâ manu Apellem seu Lucam suum juvisse, & verò etiam vices subindè subijsse, cujus appensum tumulo:

Virginis Almificæ pictor egregius Tutelo,
Excellens meritis, & pietate potens.
Nemo tristis abit qui te colit & veneratur,
Fers cunctis placidam quippè salutis opem.

910. 430. Cluniacensis Archisterij, totiusque Congregationis sacræ Deiparenti initia multi ad hunc annum referunt, imò plerique etsi, ut supra vidimus, Locrius anno 894. dederit.

Eodem anno B. Simeon cognomento Achaicus & Bardo, primus Magnatum Aulæ Constantinopolitanæ, belli Imperator supremus & unius provinciæ Dux, donatam sibi quondam à Patriarcha Hierosolymitano unam ex sex Hydrjis in Cana Gallileæ, mirè ablatam & in Augiam Divitem translatam, dum certus illic mori ubi eam invenisset, Basilicam DEI Genitricis (ad cujus preces aqua in vinum versa est) ibidem ingrederetur, in Altari S. Januarij expositam reperit, & incredibili plausu amplexatus consalutauit, vitæ reliquum in lectissimo illo Dominæ nostræ Cœnobio sanctissimè exigens.

910. 430. Memorabili prodigio dum Ungari Victores per Bavariam ferro omnia & flammâ vastant, exusto similiter Cœnobio nostro Oettingano cum urbe vetustissima, Sacellum tamen à S. Ruperto nostro honori Deiparæ conditum, cum Altari & Sta-

Ann. Chr. | S.P.N.

tua ejuſdem magnæ Virginis illæſiſſima ſervantur, æternum tanti Apoſtoli noſtri, triumphatæ ope ejuſdem Cælorum Auguſtæ Gentilitatis monimentum, uſque hodie grandibus prodigijs, toti Europæ commendatum.

911. 431. Monaſterium B. M. V. de Ferreyra ſub hoc ferè tempus in Hiſpanijs conditur. De quo conſulendus Ant. de Jepeſ.

912. 432. Morte S. Notkeri cognomento Balbuli, è Principe Saxonum Sangallenſis Monachi inſignis hic annus, Viri non minùs eruditione quàm eximiâ vitæ ſanctitate conſpicui, & Cæſaribus chari, quem Auguſti quandoque ad ipſum inviſentis Archicapellanus homo juvenis vili habitu ſolùm in choro ſedentem conſpicatus, miratusque tam abjectum hominem tanti ab Imperatore fieri, compellare auſus rogare inſuper non timuit, ſiquidem rerum omnium adeò gnarus eſſet, curioſi ſibi ſatisfaceret reſpondendo: *Quidnam modò DEVS in Cælis ageret?* Reſpondit illico amantiſſimus Deiparæ in templo ejuſdem ſic luſus Dominæ ſuæ verbis: *Deponit*, inquit, *potentes, & exaltat humiles.* Comprobatâ effectu quamprimùm Sancti hominis voce, cùm prædictus illuſor pœnas illicò daret, parante tunc abitum Cæſare, in oculis omnium equo excuſſus, & crure confracto ad Monaſterium reportatus, donec pœnitens facti à Notkero prodigioſe curaretur. Notkeri in Deiparam ſtudium aliàs Orbi innotuit, dum decantatiſſimas olim per Eccleſiam Feſtis Deiparæ ſequentias, ut vocant, ipſe admirabili compoſitionis gratiâ fidelibus prælusiſſet. Quem Leo poſteà X. & Julius II. Pont. Max. Beati titulo honorârunt.

914. 434. Eremum beatiſſimæ Virginis, Einſidlen nunc vocant, à morte Martyris illius eo loco Cultoris primi S. Meinradi deſertam, S. Benno Canonicus olim Argentinenſis, occupat, reſtauratque: loci cultu confluentibus diſcipulis, & ad ſervitia tantæ Dominæ ſe offerentibus, creſcit dignitas loci, in ſummum deinceps decus extollendi.

915. 435 Dum Salomon Conſtantienſium Pontifex Deiparæ, ejuſq; Eccleſiæ Cathedralis & Sangallenſis Jura contra Alemanniæ

Duces

Ann. Chr. | S.r.N

Duces Bertholdum & Erchingerum Pontificali magnanimitate tuetur, supremum ferè vitæ discrimen adiit, captus ab iisdem & indignè habitus, nisi servante Eâ, cujus tam fideliter egerat causam Sigefridi cognati operâ evasisset, & qui ceperant capti essent.

917. 437. Moritur magnus ille Frisiorum Apostolus, & Tungrensium Pontifex S. Ratbodus, quem Frisij Cælitum Reginæ debent, tanto ejus gentis fructu servatum, cùm ægrotantem quandoq; ut suprà vidimus, tanta Domina per seipsam solari dignaretur, & insigni prodigio, ne vana crederetur visio, pristinæ quamprimùm redderet incolumitati.

918. 438. Celebrat hoc anno vitam S. Dominici nostri de Silos, sanctissimi Abbatis, Jepesius noster, cui candidissima illa PP. Prædicatorum familia, debet ipsum institutorem suum S. Dominicum, sterilibus Parentibus ope hujus Sancti impetratum ut nasceretur & concessum, qui & posteà in ejusdem Tutelaris sui Cœnebio educatus Spiritum illum imbibit, quo posteà Cælo & Cælitum Reginæ tantopere se probavit, Orbem terrarum universum sibi obstrinxit. Idem a Parentibus cognomine Tutelaris Dominici Dominicus appellatus.

919. 439. Moritur sanctissimè mertissimus ille de Domina sua ejusq; Cathedrali Ecclesia Beatæ merit. Salomon Episcopus, Alter Constantiæ Acronij Metropolis Conditor, & plurium Ecclesiarum & Collegiorum magnificus Fundator, cum die octavâ S. Ioannis Evangelistæ inter sustinentium manus Sacris operatus ipse esset, postridiè suprema inter unicæ Tutelaris beatissimæ V. MARIAE, Sanctorumque Pelagij, Galli & Othmari invocata nomina, felicem animam exhalans.

920. 440. Salomoni succedit in Episcopatu sanctissimus Pontifex (sic enim vocatur in proprio Constantiensi) Notingus, è potentissimo Veringensi Comite Monachus B. V. Sangallensis, magni illius Deiparæ Amatoris S. Conradi posteà in Pontificatu Successoris, felicissimus apud S. Gallum Magister, ac deinceps in Cathedrali B. M. V. Monasterio Decanus, qui & ipse

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Dominam ſuam egregiè demeretur diſciplinâ imprimis Collegij Cathedralis præclarè reſtitutâ, imò ad mentem Anteceſſoris revocata.
922.	442.	Conditur inſigne illud Monaſterium beatiſſ. MARIAE V. de Sobrado in Gallitia, nigrorum olim, hodie Ciſtercenſium.
923.	443.	Hiltino Auguſtano Præſuli ſubſtituitur hoc anno gratiſſimus ille Deiparenti, uti & ejus amantiſſimus S. Udalricus, Comes Kyburgius, uti jam pridem ſanctiſſima illa Mariani Amoris Magiſtra & Martyr Wiborada puero, ad S. Gallū etiamnum agenti, prædixerat.
924.	444.	Iterùm Mariani nominis monimentum in Hiſpanijs illuſtre erigitur, Monaſterium S. MARIAE de Pilaſca- De quo conſulendus noſtri Ordinis inſignis Chronographus M. F. Antonius de Jepeſ.
926.	446.	Immortalitatem induit S. Berno primus Archiſterij Cluniacenſis Abbas,, illuſtriſſimo Burgundiæ Comitum genere ortus, qui immortali merito amorem Dominæ noſtræ demeritus, eidem ampliſſimam illam Cluniacenſium Reformationem & Congregationem propriam voluit, & magnam Matrem ſpecialiſſimam Patronam, & Protectricem adoptavit. Ipſe viciſſim pro ſuo amore & cultu ab ipſa honoratus, ita ut proculdubio ejus ope, cujus in plenitudine Sanctorum detentio eſt, multorum millium Sanctorum, qui ex Congregatione illa deinceps prodierunt, Anteſignanus celebretur.
927.	447.	S. Benno ab amplexibus nuper ſuæ in Eremo Einſidlenſi Tuſclanam ad Epiſcopatum Metenſem abreptus, hoc anno ſummam per injuriam à proprijs ſubditis excæcatus, ad ſinum miſericordiæ Matris & deſideratum Dominæ ſuæ domicilium recurrit, ubi vitam reliquam in cultu ejuſdem feliciſſimè exigit.
928.	448.	Iterùm magnus magnæ Matris pugil B. Ratherius è Monacho Laubienſi Veronenſis Epiſcopus, novæ inſurgenti Anthropomor-

pomor-

Ann. Chr.	S P.N.	
		pomorphitarum Hæresi se strenuè opponit, quos insigni conscripto volumine confundit, debellatque.
929.	449.	Novum Deiparæ in terris Gynecæum instituit sub Regula S. P. N. Henricus I. Imper. condito potentissimo illo Quedlenburgensi Virginum Cœnobio, cui filia ejusdem Mechtildis, magni Otthonis Soror præficitur, incredibili deinceps Principum numero, DEO illic & Deiparæ servire exambientium, ad usque Lutheri Hæresiarchæ tempora ad illud ipsum Cœnobium confluente.
930.	450.	Magnorum Deiparæ in Septentrionem Legatorum Ansgarij & Remberti vestigijs hoc anno insistit S. Wimo noster, & Danos post obitum Ansgarij ad errores pristinos relapsos, magna felicitate revocat.
931.	451.	Celebris jam famâ ob sanctitatem B. Adalricus noster, Burcardi Sueviæ Ducis filius, Aufnaugiam insulam Turicini lacûs quam incoluerat, celebrem quoque reddit, inde ad Deiparentis Patronæ suæ sacrum in Einsidlen Sacellum sæpiùs recurrens, unde reversus cùm deesset navicula, solitus lacum sicco pede transmittere, id pro more conatus aliquando non potuisse fertur, donec quem è sæpe agelli ejusdam extraxerat stipitem, eoque per dorsum montis descendens se sustentaverat, suo loco restitueret.
934.	454.	Hoc demque anno pleniora sanctissimi illius B. M. V. Einsidlensis Cœnobij incrementa se produnt, Bennone superstite, & Angelico monitu ductuque superveniente B. Eberhardo Argentinensium Præposito, viro religiosissimo, & summis Europæ Principibus sanguine juncto, Hermanni Alemanniæ & Conradi Franconiæ Ducum fratre, qui magnis secum collatis opibus, Basilicam illic majorem cum Cœnobio condidit, ejus non multò post Abbas effectus.
935.	455.	Marianæ haud ita pridem institutæ apud Cluniacum Congregationis & Reformationis, ea sub tantâ Protectrice & Curatrice incrementa, & ab his fama, ut eo velut ad Oraculum summi

mi

Ann. Chr.	S. P. N.	
		mi Orbis Principes sua sensa referrent, & consilium peterent, precum suffragia deposcerent.
		Hoc ipso anno sanctissimus ille Constantiensium Tutelaris Conradus post Notingum Magistrum ejusdem urbis Pontifex designatur.
936.	456.	Item admiranda sanctitate Episcopus Conradus, è Ducibus Alemanniæ, Guelphis Principibus oriundus, nihil prius habet, quàm vix adito Pontificatu Deiparam in sua Cathedrali demereri Basilica, ad quam magnas quamprimùm opes contulit, alter quasi ipsius Fundator celebrandus.
		Nascitur sub hoc tempus ille Deiparentis Virginis homo S. Wolffgangus noster, Ratisponensium dein Pontifex, de quo uberiùs suo loco.
938.	458.	B. Eberhardus aliquot jam annos in colenda Deipara Einsidlensi, & condendo Cœnobio occupatus, excitâ nobilium Adolescentum multitudine, qui Reginæ Cælorum emancipare & servire expeterent, insignem Divinæ Matrisfamilias domesticorum numerum comparat, e quibus hoc ipso ferè anno castæ Dominæ se consecrat B. Diethlandus Burcardi II. Alemanniæ Ducis filius, insigne deinceps ejus Cœnobij fulcrum & ornamentum.
939.	459.	Magnus ille Congregationis Marianæ Cluniacensis Paterfamilias S. Odo, miro fulgore universum perstringit, electus à Deo, ut egregiâ sanctitate & admirandis signis collapsam per diversas provincias Monasticam disciplinam restitueret. Idem Augustissimæ Cælorum Dominæ ex utero Matris dicatus & consecratus, per Virgineum Virginis scilicet partum Virgineâ, in ipsa Nativitatis Dominicæ nocte nasceretur, prodigiosè impetratus.
940.	460.	S. Dunstani nostri ingens jam ob sanctitatem & eruditionem fama, cujus natalem annum certo loco incerti assignare nequivimus, qui tamen per omnia magnæ Matri debebatur, in utero jam Matris Chinedritæ ab Augusta Cælorum adamatus, cujus Dunstano prægnantis festo Purificationis in Ecclesia

spectan-

Ann. Chr. | S.P.N.

spectante populo universo cereus cœlitùs accensus est, cùm subitò cereis universorum extinctis, singulis unde accenderent circumspicientibus, Chinedritæ è cælo descendens lumen, accendit cereum, & pueri, qui latebat utero, gratiam designavit, & conspicuam reddidit. Sed de hoc Dunstano sæpiùs.

Moritur eodem anno S. Benno noster, peculiaris & vigilantissimus, etsi cæcus, Dominæ nostræ in Einsidlen Servus, quem B. Eberhardus multo cum mærore & lacrymis, ante ipsam Deiparentis ædiculam, in conspectu scilicet ejus, quam tantopere coluerat, sepelivit.

941. 461. Hoc ipso ferè tempore B. Adalricus suadente etiam Matre Regulindâ Principe Religiosissimâ, & alterâ Einsidlensium Fundatrice, Deiparæ se plenè in ejusdem novo Cœnobio emancupat, ita ut jam aliquot Principes Reginæ illic Cælorum pro mancipijs essent, quorum quidem exemplo plurimi dein è Magnatibus tam nobilem servitutem inhiantibus ibidem exambierunt.

Nascitur hoc anno S. Wilhelmus Divionensis Deiparæ in utero & ab utero à Matre commendatus.

942. 462. Matris pulchræ dilectionis specialissimus filius S. Odo noster, magno Imperij & Italiæ cumprimis commodo compositâ inter Hugonem Italiæ Regem, & Albericum urbis Principem dissensione, in reditu ad S. Martini invisens, paulò post moritur, cultûs Mariani Promotor præcipuus, Dominam suam solitus non alio titulo, quàm gratiosissimo illo: *Mater misericordiæ*, appellare.

Conditur eodem anno in Hispanijs novum & illustre Virginum Virgini Trophæum, Monasterium S. MARIAE de Cambre. Vid. Jepes.

943. 463. Claret egregiâ vitæ sanctitate in territorio Rhemensi S. Flotilda nostra, Virgo lectissima, quam quanti faceret, quantumque adamaret illustri visione, Virginum Virgo manifestè ostendit. Quæ cùm ante conversionem in loco quodam Principi Apostolorum sacro deserviret, visa spectabili formâ Dei-

Ann. Chr. | S.P.N.

parens à S. Petro contendere, ut sibi Flotildam dono daret. Annuit Petrus, & amantissimæ amantissimam obtulit, quæ mirâ animi exultatione in potentissimæ suavissimæque Tutelaris suæ singulare quoddam jus & amores admissa, transijt, fuitque similiter edocta quòd sacro esset velamine amicienda. Hoc in Auernacensi Cœnobio assecuta mira deinceps plurima intueri meruit & Prophetico Spiritu illustris ad æterna denique Palatia transijt.

944. 464. S. Wolfgangus è Comitibus Achalnaensibus oriundus, in Monasterio Deiparæ Augiensi suscipitur, ubi cum in litteris tum pietate magnos progressus faciens, Cælorum Augustæ amicabilem reddit, deinceps inter præcipuos ejus domesticos accensendus.

Eodem anno Edmundus Angliæ Rex celeberrimum illud Glastoniense honori ac nomini Deiparæ condit Cœnobium, in quo & tantam Dominam veneratus, ipsius filius Edgarus, lituum proprium sive sceptrum in Ara beatissimæ Virginis deponit, & Regnum quasi suum tantæ Reginæ offert & consecrat.

945. 465. S. Udalricus noster Pontificatu abdicare se conatus, impeditus à Concilij Ingelheimensis Patribus, invitus retento Pontificatu cucullum induit, & prohiberi non posse ratus quo minùs in Pontificatu Monachum ageret, id reapse præstitit, & fastiditum honorem verè jam Monachus gessit, ad dilectissimam Dominæ suæ solitudinem, Einsidlense Cœnobium, quotannis ferè, etsi difficili & longo itinere recurrens.

946. 466. Otho magnus Imp. pro suo in Deiparam affectu, Monasterium ejusdem Einsidlense in suam & Imperij protectionem accipit, qui idem magnus revera Imperator, locum adeò singulariter Deiparæ dilectum, & ipse peculiariter diligens, plura deinceps beneficia eidem contulit, & cum Adelheide Augusta Conjuge, ipse ad Cælitum Imperatricem Servus Imperator peregrinationem instituit.

948. 468. Singularissima sanè DEI Opt. Max. quapropter & apud

nostros

Ann. Chr. | S.P.N

nostros Orbi, & Germaniæ imprimis nostræ benefecit, gratia fuit, quando hoc ipso anno, absoluto Deiparentis Templo & Sacello Einsidlensi, ipse Dominus visus Cœlo descendere, & proprium illud ac verè speciale admirabilis Matris in terra Domicilium per semetipsum consecrare. Ita qui ipsus coram intuitus est Sanctissimus Constantiensium Pontifex & Tutelaris Conradus litteris commendavit his verbis: Descendit, inquit, Dominus de Cælis, casulâ violaceâ ante Altare, ad Sacrum Officium celebrandum, cui quatuor Evangelistæ Infulam Capiti ejus imponentes & more consueto deponentes; Angeli aurea Thuribula deferebant, alis suis ut ramis arborum stabant. Juxta Dominũ S. Gregorius flabellũ in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculum Pastoralem. Sanctus verò Augustinus & Ambrosius stabant ante Dominum. MARIA Virgo ante Altare stabat, splendida sicuti fulgur. S. Michaël Præcantor erat. S. Stephanus legit Epistolam: B. Laurentius Evangelium. *Sanctus*, cantabatur sic: *Sanctus DEUS, in Aula Virginis miserere nobis. Benedictus MARIÆ Filius in æternum regnaturus, qui venit &c.* Hactenùs Divus Conradus, eo viso extra se raptus, quoad meridie appetente, reliqui urgerent Antistites & Proceres, familiarissimus imprimis ejusdem S. Udalricus August. Episcopus, Consecrationem tandem, propter quam venerat, aggrederetur, quo, quæ viderat, objiciente, illis quæ viderat in figura, ut vocant, gesta interpretantibus, evictus denique dum parat obsequi, audientibus & stupentibus universis, lapsâ de Cælo voce prohibetur: *Cessa, cessa Frater Conrade, Divinitùs Capella consecrata est.* Confirmârunt posteà Romani Pontifices, statueruntque ne deinceps consecrata à Numine à quovis alio consecraretur, ut suo loco videbimus.

949. | 469. Nova eidem loco, Einsidlensi nimirùm Monasterio è Cælis hoc anno obtigit Benedictio, occurrente nimirùm novo Deiparæ ad ipsum specialiter lecto Domestico, S. Gregorio nimirùm, Eduardi Angliæ Regis filio, Ethelstani & Edmundi

Ann. Chr. | S. P. N

Regum fratre Germano, qui ex voto Romam haud ita pridem adiens, & ad Cœlium aliquandiu montem subsistens, dum purpuram cucullo mutare disponit, cælesti tertium voce, totidem noctibus monitus, in Eremum Divæ Virginis concedere jussus est, in itinere porrò de B. Eberhardi primi Abbatis prosapia & conjuncta nobilitati sanctitate, disciplina Monasterij, quin & situ loci ab Angelo edoctus.

951. 471. Iterùm Tutelarem suam demeretur S. Conradus Constantiæ Pontifex, qui nupero Divinæ Matris tam felici contuitu flagrantior amore, nihil magis curaverat, quàm honorare illam, quam à Numine Filio nuper tantoperè honorari conspexerat. In quam profusior liberalitate Cathedralem ejus Basilicam, multis iterùm prædijs & possessionibus hoc anno ex devoluto ad se patrimonio locupletat.

952. 472. S. Udalricus Augustanus Episcopus suo more Dominam suam in Einsidlen salutaturus, redux ex Italia, quo sequi Imperatorê coactus erat, ne sine munere occurreret, pretiosissimum munus defert, brachium Thebeæ Legionis Principis S. Mauritij magni Martyris, quod Reginæ Martyrum offert, usque hodie illic magna habitum in veneratione.

Eodem anno S. Kerhildis nostra ut cui serviret innotesceret, ipso Natæ Virginis festo Inclusorùm rigidissimum amplexa institutum, includi cellulæ velut sepulchro voluit, tum primùm nata Virgini, cùm sic sibi moreretur.

Moritur Regulinda Alemanniæ Ducissa, Benefactrix Monasterij Einsidlensis singularis, non sine singulari opinione, cujus funus BB. Eberhardus Abbas & Adalricus filius curârunt Religiosi & proprio Sacello condiderunt.

954. 474. Meretur amplissimè de Imperio universo S. Udalricus noster gravissimum avertens à Germania bellum, cum paratis jam utrinque ad pugnam exercitibus, fœda hostilitate pater & filius, Ottho Imperator & Luitolphus Dux manus erant conserturi, quod utriusque & Udalrici & Otthonis in Divam Einsidlen-

Ann. Chr. | S.P.N. | sidlensem pietati damus, quam singulis ferè annis, uterque venerari & oblationibus honorare consueverat.

955. 475. Idem Udalricus Terribilis illius Dominæ velut castrorum acies ordinata prædicatæ miles emeritus, memorabili illo Othonis contra Ungaros prælio, sacerdotali amictus veste, crucem cœlitus sibi missam præferens manu, per medios telorum jactus enititur, triumphatis magno prodigio Ungaris, & ingenti clade contrucidatis.

Eodem anno circiter S. Dunstanus noster, pro suo in Virginum Virginem affectu singulari, Zelator Virginitatis eximius, Edvvinum Regem violenter à complexibus impudicis abstrahens, luit exilio, omni mox regni felicitate cum ipso exulante, & Edvvino Rege non multò post pænas dante, solio Regni dejecto, & in exilium extruso.

956. 476. Magnæ illi tot millium Sanctorum Marianæ Cluniacensium Congregationi hoc anno S. Majolus noster præficitur, amantissimus magnæ Matris, cujus honorem insigniter promovit, & ob idipsum proculdubio meruit, ut magnitudine miraculorum Deiparæ, in ipso scilicet, sive per ipsum operanti compararetur. Quippè de his ipsis agens S. Petrus Venerabilis: *Vt magnus vitâ*, inquit, *sic miraculis, & dum mortalis viveret, & post mortem maximè insignis extitit &c. ut post sanctam DEI Genitricem nullum Sanctorum in tota Europa nostra in hujusmodi operibus parem habeat.*

958. 478. Moritur hoc anno S. Eberhardus, primus felicissimi illius magnæ Virginis Domicilij Einsidlensis Abbas, idem & Conditor, cujus structuram & obsequia Matri præstita tanti fecit Virginis Filius, ut per semetipsum summus ipse Pontifex assistente primo suo in terris Vicario Romano Pontifice Petro, solemnissimè dedicare dignaretur. Illum cum hoc ipso anno ex more conveniret S. Udalricus Episcopus, mortem suam ipse prædicens currensq; post abeuntem iteratis osculis extrema hæc esse dixit, quòd mutuò deinceps in hac vita sese conspecturi non essent, effectu dein comprobante, cùm reversus ad Eremum

Ann. Chr. | S.P.N. | Udalricus Amicum tantum jam mortuum intellexit.

Extinguitur eodem anno B. Regimbaldus S. Udalrici Cognatus, Comes Kyburgius ex Abbate Laurishaimensi Spirensis Episcopus, Dominæ nostræ & ipse devotissimus, cujus ad nostram usque ætatem Spiræ memoria extitit, Candelabrum æreum pensile inauratum eximij operis dignê tantæ submissionis Principe inscriptione notatum.

Istud non magnum dignanter suscipe munus,
Quod Regimbaldus tibi Præsul reddo misellus.

960. 480. Fit Wigorniensis sub hæc tempora Episcopus S. Osvvaldus noster, ex Monacho Floriacensi, Deiparæ obsequio addictissimus, qui Cathedralem ejusdem honori & nomini condit Ecclesiam, ad quam una secum illustre Monachorum Collegium (Canonicis omnibus persuasis ut S. P. N. Regulam complecterentur) tantæ Dominæ quàm diligentissimè inserviret, & laudes quotidie diceret.

Moritur eodem anno B. Geraldus Monachus B. M. V. Sangallensis, ejusdem magnæ Matris commendatissimi Filij Joannis Evangelistæ longè amantissimus, die illius Festo natus, Cœnobium ingressus, Ordinem professus, præsbyter ordinatus, & mortuus, cùm pro concione eadem die populo, mox fratribus, nullo morbi dato priùs indicio, in cinerem se abijciens & cilicium, valedixisset, salve dicens quem occurrere viderat Tutelari suo, *Beneveni, Beneveni Domine*, cum his verbis hilariter extinctus.

961. 481. Burcardus Alemanniæ Dux Deiparentem in Monasterio Einsidlensi plurimùm honorans, Benefactoribus loci accensetur, Menidorffum & Eslingam notissimos Tigurinæ provinciæ vicos Dominæ tantæ offerens, aliasque insuper ab Otthone Cæsare gratias Domesticis Marianis impetrans.

963. 483. Mortalitatem exuit B. Dietlandus, alter felicissimi Cœnobij Einsidlensis Abbas, Burcardi, de quo modò, Alemanniæ Ducis Frater, vir eximiâ sanctitate & meritis conspicuus, cui succedit Beatus Gregorius Eduardi Angliæ Regis filius, quem

jam

Ann. Chr.	S.P.N.	
		jam ante Divino oraculo ad servitia Divinæ Matris vocatum & ductum ad Eremum diximus.
964.	484.	S. Conradus Constantiensis Episcopus Otthonem Cæsarem hoc anno Romam consequutus, ejusdem interventu Leonem Papam admonet, Miraculum consecrati à Christo Sacelli in Einsidlen Mariani Fidelibus commendaret. Quare Leo, Conradi cognitâ omnibus sanctitate, auctoritate insuper S. Udalrici tum quoque præsentis permotus, factam divinitùs consecrationem ratam non modò omnium qui aderant consilio & assensu habuit, sed & magnis privilegijs & indulgentijs locum & qui inviserent, donavit. Bulla extat apud Christ. Hartm. & in Constantia nostra Benedicta.
965.	485.	Ottho Imp. insitâ in Deiparam affectione, simul piæ Reginæ conjugis precibus, hoc ipso anno Monasterium Einsidlense amplissimâ donatione locupletat, & litteras Fundationis scribit, ipse & Adelheidt Imperatrix, præcipui dein, præ alijs qui priùs struxerant, Conditores habiti.
		Quo ipso anno S. Wolfgangus noster, Achalmensis, ut diximus, & Pfulingius Comes, eodem in Cœnobio Deiparæ servitijs se addicit, & Monachum profitetur, ut Marianæ hujus in terris Regiæ felicitatem, cùm à tantæ Reginæ præsentia, tum à tanta domesticorum ejus gloria nemò satis miretur atque deprædicet.
967.	487.	Condit hoc ipso ferè anno illustrem Deiparenti Basilicam S. Ethelvvaldus noster cum Monasterio, propè Wintoniam, ab illa vicissim honorandus, cùm Ecclesiæ illius curam & Patrocinium ipsa susciperet, quin & à morte clientis sui singulari curâ protegeret, & sacrilegos averteret ac deterreret.
968.	488.	Iterùm novæ Ecclesiæ Marianæ Miluerburgensi seu Citizensi in Misniâ primus Episcopus datur à S. Adalberto nostro Deiparæ singulari Amasio, S. Hugo egregiâ sanctitate Monachus, qui sedem illam insignibus meritis demeretur.
970.	890.	S. Dunstanus noster Cantuariensis jam Archiepiscopus, ita Sedi illi præest, ut Regno quoque pro Rege & præ Rege, etsi

juxta

Ann. Chr.	S.P.N.	
		juxta Regem imperet, ita temperans regiam potestatem, ut neque Episcopum neque Monachum se esse non meminisset, qui nihil minùs quàm Episcopatum, nedum Regnum ambierat. Quippè Episcopus delectus, ne vota omnium fugiendo eluderet, ab ipsa Cælitum Imperatrice stupendo dignationis genere, in foribus Ecclesiæ, inter solemnes Cælitum Virginum cantus honorificentissimè exceptus, & ad altare deductus est. Certus nimirùm ut esset, Tutelaris id suæ etiam calculo factum, ut, cælo approbante & cogente eligeretur. Visusque iam revera fax illa esse, quam cœlitùs accensam in manu prægnantis Matris superiùs memoravimus.
		Magnus à Regina Apostolorum Apostolus è Cœnobio Einsidlensi cælesti monito, annuente Abbate S. Gregorio ad messem agri Dominici digreditur S. Wolfgangus, ejusdem Cœnobij Decanus, & in Ungariam, olim Deiparæ penitùs consecrandam, pedem infert, ubi non multò post plurimos Christo lucratus, Ungarorum quinque millia sacris lustrasse undis perhibetur.
971.	491.	Auspicatur iterùm è nostris, dignissimus tanto honore Archiepiscoporum & Primatum Germaniæ seriem S. Adalbertus noster, è Monacho S. Maximini primus Magdeburgensium Archipræsul ab Otthone Imperatore renunciatus, conditâ ab hoc Parthenopoli Virginis civitate, cui sub initia Pontificatûs creditur educandus S Adalbertus Junior Pragensis posteà Archiepiscopus, quem puerulum etiamnum membris contractum adreptantem tamen ut poterat ad aram suam magna Mater & Virgo prodigiosissimè illicò sanum reddidit.
972.	492.	S. Wolfgangus noster auctoritate Cæsaris & magnâ gratulatione Ratisponensium salutatus Episcopus, tantisper contra omnium vota & desideria obnititur, donec Gregorius Einsidlensis Abbas suscipiendæ ipsi dignitatis suasor & auctor fieret.
		Moritur eodem anno insignis ille Deiparæ pugil & Hæresum Dominæ suæ infensarum triumphator, S. Ratherius Episco-

Ann. Chr. | S.P.N. | Episcopus, conditus in suæ Tutelaris Basilica Laubiensi, cum hoc, quod sibi ipse dictaverat, Epitaphio:

Conculcate pedes hominum Sal infatuatum.

Ut humilitatis Magistræ discipulum è stylo animadvertas.

973. 493. In Cœlos evolat solutus corpore animus S. Udalrici nostri Augustani Pontificis, de cujus ergà Dominam nostram devotione sæpiùs jam dictum est. Quem non multò post anno eodem subsequutus est S. Adalricus, è Sueviæ Duce humillimus Deiparex in Einsidlensi Cœnobio Servulus, & ejusdem consecrati à Christo ipso sanctissimi Sacelli Custos, idem cujus gratiâ Domicilium illud Cælorum Reginæ non minimâ ex parte in tantum splendorem excrevit, cujus viventis defunctique sanctitudinem, frequentibus, uti nunc quoque miraculis testatam bonum Numen voluit.

974. 494. Sol novus mundo exoritur, magnis vitæ sanctioris splendoribus & famâ sese exporrigens, *S.* Romualdus noster, Classensis Monachus, Deiparenti longè addictissimus, qui novam paulò post familiam & Ordinem eidem per omnia acceptissimum, sub tantæ Protectricis nomine & honore instituit.

975. 495. S. Conradus Constantiensium Pontifex, alter Marianæ Cathedralis Ecclesiæ Restitutor, qui memorandâ imprimis visione consecrationi prodigiosissimæ Mariani Einsidlensis Sacelli oculatus testis interfuit, Virginum Virginem ejusque Filium cum spectatissimo Cælj Palatinorum comitatu intueri meruit, felicissimâ morte defungitur.

976. 496. Carcere corporis feliciter solvitur S. Joannes Abbas in Monasterio S. Joannis Evangelistæ Parmensi, qui cum prædicti Evangelistæ Virgineæ Matris domesticorum primi amantissimus esset, magnum ipsiusmet Dominæ amorem meritus, cum in extremis decumberet ab eadem immensum inter splendorem visitari, præsentiaque juxta & alloquio perfrui dignus fuit.

977. 497. Iterùm magnus Cæli Reginæ servus B. Geroldus Saxonum Dux, qui cum sponte pro Christo exul Drusiana in valle, Co-

Ann. Chr.	S.r.s.	
		mitatus hodie Blumeneccij in meditullio, sedem fixisset, & condito Jagbergensis Comitis concessione Cœnobio illic cum filijs Principibus Udalrico & Cunone aliquandiu sanctissimè vixisset, hoc anno peregrinatione ad Cæli Reginam Sacra in Eremo institutâ ad aram admirabilis Matris supplex cum filijs seque liberosque eidem offert proprios, cespite terræ, possessionis traditæ insigni, in altari deposito.
978.	498.	Idem Geroldus mancupatissimus Dominæ nostræ Servus, grandem senectam sancto coronat fine, in suo Friesæ Comitatûs tunc Jagbergici, hodie Blumeneccij Cœnobio sepultus, Filijs relicto patre Matrem sequentibus, Virginem scilicet optimi Numinis parentem, Cunone Decani, Udalrici Thesaurarij munus cum laude obeuntibus, donec Abbatis jussu remissi ad sacros parentis sanctissimi cineres, illic quoque vitam clauderent, non absque consimili opinione sanctitatis.
979.	499.	Mortuo Gamenolpho nostro Constantiensium post S. Conradum Antistite, succedit, hujus olim prædictione S. Gebhardus & ipse Monachus è potentissimo Brigantij Comite, quem ipsa Deipara raro sanè exemplo, suæ Ecclesiæ Pontificem deligere visa est. Statim enim à morte Gaminolphi, priusquam electio susciperetur, resolutus in somnum Gebhardus, cum sibi videretur in choro Cathedrali subsistere, lignea, quæ ibi tunc erat in veneratione, Matris Virginis imago, lituum Pontificalem Gebhardo porrexit, cum hoc mandato: *Dominicum gregem pasceret, eiq; pascua vitæ æternæ monstraret.* Prædictionem Dominæ, imò electionem suffragia quoque Cleri sequuta sunt quibus pari consensu Gebhardus hoc anno Episcopus creatus est.
980.	500.	Claret admirabili in cucullo sanctitate S. Adelheidis nostra, magni Otthonis Imp. quondam Uxor, Deiparæ longè amantissima, deque ipsa meritissima, ut quæ amicissimi illius in terris domicilij, Cœnobij Einsidlensis, Princeps Fundatrix habeatur, eadem omnium ferè Deiparæ per Germaniam Cœnobiorum Dotatrix seu Benefactrix, quæ in condito à se Schlen-

siad

Ann. Chr.	S.P.N	
		si ad Rhenum Cœnobio, in cucullo non minùs quàm purpura refulsit, magnis à Numine miraculis commendata.
981.	501.	Dilectissimus ille à puero magnæ Matri S. Adalberus, & ab ea, ut supra vidimus, prodigiose curatus, sub hunc ipsum annum Pragensi Ecclesiæ Archiepiscopus constituitur, magnus deinceps magnorum Regnorum futurus Apostolus, & sanguine suo Apostolatum consecraturus.
982.	502.	Claret egregiâ vitæ sanctitate S. Maurus Cæsenas ex Monacho Episcopus, qui in Episcopatu etiam Monachi vitam duxit, & in vicino Cæsenæ colle sibi cellulam cum Oratorio B. M. V. condens, illic Dominæ suæ fideliter serviens, totum se orationis studio addixit, ubi & condi à morte voluit, grandibus à morte prodigijs celebratus. Evasit modicum illud Oratoriolum, insignem deinceps in Basilicam, cui celebre Ordinis nostri accrevit Cœnobium, quod Diva MARIA Montana deinceps est appellatum.
983.	503.	S. Gebhardus noster Constantiensium Pontifex devolutam ad se à Parentibus illustrissimis & potentissimis hæreditatem, Deiparentis Cathedrali Basilicæ offert, & ferventissimo illi tantæ Matris Cultori magno Gregorio insigne Cœnobium molitur.
684.	504.	Moritur præstantissimus ille Wintoniensium in Anglia Pontifex S. Ethelvvoldus, Deiparæ, ut suprà vidimus, addictissimus & dilectissimus, cujus mira & rara illa fuit comminatio, singularis in tantam Virginem studij argumentum, quàm ut in corde sic ore perpetuò se habere ostendit, cum adversus Godvvinum Comitem justâ commotus indignatione in hæc verba prorumperet: *Per Dominam meam S. MARIAM malè illi erit*; Comite quamprimùm pessimè afflicto donec pœnitens Ethelvvoldi Benedictione sanaretur.
985.	505.	Mons-ferratus Marchionatus titulo hoc ipso anno insignitur, quem ut insigniorem redderent ejus Principes, duobus egregijs nostri Ordinis in honorem B. M. V. Cœnobijs ornant & coronant.

N 2 Eodem

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Eodem anno celeberrimum illud Morervelense Dominæ nostræ Monasterium in Hispania conditur, de cujus excellentijs Antonius de Jepes noster legendus est.
986.	506.	Miraculum sui sexus & sæculi, ornamentum Germaniæ singulare elucescit sub hoc tempus è Gandersheimensi Cœnobio, Venerab. Mem. Rosvveides sive Rosvita ejusdem loci Monialis Deiparentis amantissima, quæ cum eruditione esset in fœmina planè admirabili, Sapientiæ Matrem singulari honore demerendo, de laudibus ejusdem, Elegiaco & Hexametro versu librum insignem scripsit. Fuit linguarum Græcæ & Latinæ cognitione clara, miro ingenio, & in utroque scribendi genere metro & prosâ excellens, relictis egregijs scriptorum monimentis, etiam in terris immortalis.
988.	508.	Miro sanè Viro S. Dunstano nostro Cantuariensium Archipræsuli, Angliæ Primati, imò Regum illorum Regi, Cæli Reginæ familiari supremus in terris hic annus, quem cum ipsa ascendentis in Cælum Christi solemnitate, ad triumphos æternos, ipsi Cherubin & Seraphin apparentes plausibiliter invitarent, impediri se Festo dixit, concursu populi, (stupenda res!) cui proin Sabbathum proximum, dies Reginæ Angelorum sacer, indictus est, quo maximo Cælitum plausu novum suo ingressu cælis triumphi spectaculum daret & jubilum.
989.	509.	Efflorescit sub hoc tempus illustris Mariani horti flosculus, S. Abundantia nobilis Virgo Spoletana, quæ sterilibus parentibus dono à Numine data & nata, insigni prodigio etiamnum infantula honorata est, cum ad Baptismum delatæ, campanæ omnes gratulari visæ, sponte, nemine monente consonarent, & lampades Ecclesiæ divinitùs accenderentur. Octuennis puella ingressa Ecclesiam, ante imaginem mirabilis Matris flectens genua, cum à Puero Jesu pomum aureum, quod pictum imago præferebat, peteret, (dictu mirabile) Puer extensa manu pomum illicò porrexit, quæ domum recurrens, flores hyemali exortos tempore ac decerptos in Ecclesiam ferens, dilectulo suo redonavit. Hæc castissimum illum Virginis Matris Amasium

S. Ma-

Ann. Chr. | S. P. N.

S. Majolum posteà Magistrum habuit, qui & Jerosolymam ipsam secum deduxit. Ubi ipsa eo loco, quo bajulans crucem Dominus obviam habuisse Matrem dicitur, effusa in terram detractis vestibus, uncinis ferreis adeò sese excarnificavit, ut toto sacro ejus corpusculo sanguinis rivuli defluerent, & dominiatque Dominæ suæ de novo vestigia purpurarent, atque calefacerent. Reddita demùm jussu Majoli patriæ, illic vitam in omni sanctitate exegit, sicut nata, sic & denata campanis ultrò consonantibus, alijsque deinceps prodigijs à Numine commendata.

990. 510. Gallias, imò Ecclesiam universam sanctitatis fulgoribus irradiat, S. Fulbertus, ex Abbate S. Martini Carnotensis Episcopus, Deiparenti adeò addictus, ut inter primates Castitatis amasios meritò sit referendus, qui tantæ Dominæ honori ac nomini Cathedralem Basilicam à fundamentis erexit, quod ipsa dein se inhabitare reapse maximis prodigijs declaravit. Idem Fulbertus præter Hymnos & Sermones varios in laudem Virginis compositos, ut pulcherrima illa de Domina in Vesperis atque laudibus Commemoratio: *Sancta MARIA succurre miseris &c.* quotidiè deinceps usurparetur, æterno sanè cum meritò Auctor fuit. Idem Nativitatis B. M. V. Festum primus in Gallia celebravit. Idem totum de Divinæ Matris laudibus librum scripsit, ut facilè advertas qualiter illam demeruerit, quæ tota cæteroquin plena affectuum purissimæ dilectionis. De cujus favore suo loco sub mortem Fulberti agemus. Sub hoc idem tempus celeberrimum illud & proprium Deiparæ in terris Domicilium & Cœnobium Montis-Serrati, quod huc usque sacræ Virgines nostri Ordinis obtinuerunt, pro majori occurrentium peregrinorum satisfactione & utilitate, Monachis commendatum est, & multò deinceps illustrius factum.

Ipso hoc etiam anno aliud illustre B. M. V. in Hispanijs Cœnobium de Carracedo conditur, quod deinceps sacræ nostræ Cisterciensium Reformationi nomen dedit, & insigniter floruit.

991. 511. Compostellæ in Hispania insigni sanctissimæ vitæ exemplo Ecclesiam illustrat S. Petrus ejus loci Episcopus, Monachum in Cœnobio Ante-altaria professus, quem nonnulli celeberrimæ illius Antiphonæ *Salve Regina*, à S. Hermanno Contracto primùm inventæ & compositæ, Authorem voluêre inde fortasse suspicati, quod plurium ejusmodi Præconiorum Deiparæ scriptione celebrem fuisse deprehenderint.

992. 512. Immortalitate felicissimâ potitur hoc anno S. Osvvaldus noster, Wigorniensis Episcopus, eâ quam prædixerat die, dum ex more præcinctus linteo pauperum pedes lavat, interque lavandum 15. Psalmos recitans, & per *Gloria Patri* ultimùm claudens, dicit: *Et Spiritui Sancto*, Spiritum purissimum memorabili mortis genere ante pauperum pedes efflans gloriosè occumberet. De cujus Deiparæ cultu jam satis superiùs dictum est.

993. 513. Mariani amoris Magister lectissimus, Congregationis Cluniacensis Generalis maximus S. Majolus Abbas moritur, è cujus Schola totus penè exercitus Castissimorum Amatorum prodijt, qui Cæli Reginam suo cultu & obsequijs, cùm ingeniosè, tum ferventissimè demeruêre. De cujus ad imitationem Dominæ suæ miraculorum gloriâ superiùs jam innuimus.

994. 514. S. Wolfgangus è Monacho Einsidlensi Ratisponensium Pontifex, homo Deiparæ proprius, insignis ejus cultûs Promotor, ad ejusdem æterna Palatia invitatur & evehitur, idem Regni Ungarici verè Mariani primus Apostolus. Idem Henrici Imper. Magister, & institutor, qui amoribus Dominæ suæ innutritus, solus ferè, unus imperator, Imperium Marianis Basilicis & Cœnobijs implevit. De quo non inscitè Raderus in suis Bavariæ Sanctis: *Da tales Præceptores* (Wolfgangi nimirùm similes) *& tales habebimus Imperatores.*

995. 515. Iterùm egregium Germaniæ Sydus glorioso fine occumbit, Cælis exoritur, S. Gebhardus electus illicà Deiparente Constantiensium Episcopus, qui Dominæ suæ fideliter serviens dotatâ & gubernatâ felicissimè ejusdem Ecclesiâ, tantæ Reginæ adjungi de-

Ann. Chr. | S.P.N. | gi deinceps ut in Cælo sic terris meruit, ejusdem Ecclesiæ cum ipsa adoptatus Tutelaris.

996. 516. Supremus hic annus S. Gregorio Einsidlensium Abbati fuit, quem Angelo tertium monente & præcipiente ad Domicilium Cæli Reginæ vocatum conductumque, eidem postea sanctissimè præfuisse diximus. Quem vitam Angelicam duxisse in Monasterio Veteres MSS.[ii] attestantur; comprobantibus etiam à morte miraculis Regij Principis egregiam sanctitatem.

997. 517. Conditur hoc anno celebre rursus magnæ Matri & Virgini monimentum, Monasterium scilicet B. M. V. Pompotianum, cui egregius Deiparæ in terris Vicarius Paterfamilias & Abbas S. Guido præfuit, cujus vitam hoc ipso anno Jepesius describit.

Quo ipso anno magnus ille Bohemorum, Ungarorum & Polonorum Apostolus S. Adalbertus noster Pragensis Episcopus Martyrio, donante Reginæ Martyrum Martyrij insigne, coronatus est, multò ante ab amantissima sui Matre & Virgine edoctus. Vidit namque purpureum sibi floridumque atque incomparabili ornamento pretiosè vestitum thalamum apparari, cujus in superiore panno capitali aureis inscriptum seu pertextum litteris legebat: *Munus hoc donat tibi Filia Regis*. Quod interpretatus ipsi, cui tunc suberat, Leo Abbas: *Hoc tibi cito*, inquit, *invenies quod quæris*, *dono Virginis proculdubio Martyr eris*. Is septem confossus lanceis; quo nimirùm Dominæ suæ septem dolores repræsentaret, & gaudia pro his septem plenius participaret, Apostolico muneri gloriosè immortuus est. IX. Cal. Maij.

998. 518. Magnus Odilo amplissimo Imperio fasces Marianos Congregationis Cluniacensis obtinet, idem Dominæ amantissimus, amatissimus; qui tanto in Imperio Humilitatis Magistræ discipulum se demonstrans; non esse nisi mancipium Deiparæ voluit, & se quotidianâ praxi tantæ Dominæ singulari à se compositâ precatiunculâ emancipavit. De quo deinceps sæpius.

999. 519. Magni Martyris & Apostoli sui Adalberti corpus, æquali

hujus

Ann. Chr. S. P. N. hujus pondere auri, Poloni à Prussis redimunt, ad quem Ottho III. Imp. hoc ipso anno Gnesnam usque peregrinationem instituit, & hunc Marianum Martyrem summâ demissione veneratur. Quem Bohemi quoque Tutelarem deligentes, desperatissimis Regni rebus præsentissimum Advocatum & Protectorem experti sunt, velut Terribilis illa ut castrorum acies celebratur, terribilem & hunc multorum exercituum hostilium protritorem.

1000. 520. Ungariam admirabili sanctitatis splendore illuminat S. Gerardus noster S. Georgij Majoris Venetijs Monachus, à S. Adalberto paucos ante annos interceptus, cum ad Palestinæ sacra loca invisere statuisset, piâ autem proditione S. Stephano Duci proditus, & per vim sanctam retentus, quod hunc Collegam sui Apostolatûs Adalbertus, fortè & præscius imminentis Martyrij successorem sibi in Ungaria designasset. Nec minus iste Adalberto Deiparæ, imò ad miraculum penè addictus fuit, cujus deinceps sæpiùs mentio erit facienda. Certè utriusque Apostoli operâ sanctus Dux Stephanus, totus in amores Virginum Virginis exarsit, & succensi pariter tantopere sunt Ungari, ut non aliter quàm Dominam suam, Cæli Reginam appellarent. Placuit Regum Regi ejusque Matri tantopere Regis Gregisque novelli pietas, ut hoc ipso anno cum Sylvester noster eo nomine secundus Pont. Max. Poloniæ Duci Coronam Regiam mittere statuisset, Divino Oraculo juberetur hanc ipsam Stephano Ungarorum Duci mittere, ipsumque meritissimum Regio titulo honorare, Ungariam Regnum dicere. Qui illicò mandatis Divinis obsequens, Coronam cum Cruce aureâ misit, Stephano Crucem dein Regni Insignibus adjiciente, quam in scuto Regio usque hodie Regnum & Reges præferunt, strijs sive segmentis Veteri insigni sociatam.

Moritur eodem anno B. Adelheidis Augusta, Otthonis magni Conjux, Deiparenti longè devotissima, & ejusdem Cœnobij Einsidlensis Fundatrix, sepulta in suo Sehlsensi ad Rhenum Cœnobio, & miraculorum gloriâ illustrata.

Ipso

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Ipso anno construitur celebre illud nostræ Dominæ Poissiacense Cœnobium à Constantia Roberti I. Galliarum Regis filia. De quo Ferr. Locrius.
1001.	521.	Iterùm magnus, è novella Deiparentis Camaldulensium nostrorum familia Apostolus Hunnorum, Sclavorum, & Ruthenorum, Gentibus Christo lucrandis destinatur S. Bonifacius, S. Romualdi discipulus, Otthonis magni Imp. Cognatus, qui strenuè laborans sudores suos Reginæ suæ ejusque Filio consecrat.
		Claret insigni vitæ sanctitate, & Ungaricam illustrat S. Anastasius ex Abbate S. Alexij Romæ, Colecensium in Ungaria primus Episcopus, qui Coronam Regi Stephano Româ cum Cruce attulit, quo *ipso* anno novus Rex Stephanus, suam Cælo electionem assignans, Cælum quoque demereri statuit, & totus deinceps in condendis Cœnobijs & Basilicis fuit, Cæli imprimis Reginam *Cælo quasi* evocans, & ipsi quam acceperat Coronam reponens; *cui* & se & Regnum penitùs emancipavit & propium voluit, *ita ut* deinceps non tam Regum id esse vellet, quàm Reginæ Cælorum.
1002.	522.	Moritur Ottho III. Imp. voto, etsi morte præventus, Marianæ tamen familiæ nostræ jam accensus, Deiparentis amantissimus, cujus Einsidlensem domum non minùs Patre & Avo Impp. adamavit, & Benefactoris titulum illic meruit. Succedit in Imperium S. Henricus, magnus ille Mariani Amoris Magistri Divi Wolfgangi discipulus, quo imperante, totum sanè haud immeritò, non tam Romanorum dixeris Imperium, quàm Marianum, tantopere is promovit cultum Cælorum Imperatricis.
1003.	523.	Vitâ excedit Sylvester II. Pont. Max. Monachus Floriacensis, qui Dominam nostram insigniter demeruit, utpotè primus qui sacræ militiæ Classicũ contra juratissimos ejusdem hostes Saracenos occinuit. Sed & Regnum Deiparæ proprium Ungariam, ejusque Regem Stephanum, jussu Divino Regni & Regis titulo sublimavit.

Ann. Chr. | S.P.N

Galliasilluſtrat, & Cælum felici tranſitu hoc anno lætificat S. Vulferius noſter Tornodorenſis ex illuſtri Medico Monachus, qui mortis ſuæ præſcius ad Aram ejuſdem Sacris operatus, his ritè expletis ad domum infirmorum ſe conferens, hanc quam ad Aram priùs ſalutaverat, Cælo occurrentem ſeque ſolantem intueri meritus, plenus ſolatij ex hac vita migravit.

1004. 524. Berengarianâ Hæreſi ſubtiliſſimâ & nequiſſimâ ſe prodente, primus ejuſdem Auctorem agnoſcit & averſatur dilectiſſimus ille Dominæ noſtræ pugil S. Fulbertus Carnotenſis.

S. Henricus Imp. Deiparam in Baſileenſi Cathedra inſigniter honorat & locupletat. Einſidlenſi non minùs hoc anno Cœnobio conſulens.

1005. 525. Condito in honorem Virginum Virginis, inſigni propè Amerfordiam in monte S. MARIAE Monaſterio, S. Ansfridus Trajectenſium Pontifex, eidem abdicato Pontificatu ſe includit, & quam ſic honorârat Dominæ ſe emancupat, ubi magnis virtutibus exſplendeſcit.

Demeretur inſigniter Dominam Alvvicus ſive Wicelinus Argentorati Pontifex, tantâ nominis famâ ejus adminiſtrans Eccleſiam, ut ob idipſum Henrico Cæſari ſummè dilectus, Argentoratum ipſum dono acciperet, cumque multis alijs Eccleſiæ adjungeret.

1006. 526. Adelboldus Laubienſis Monachus, Henrici Cæſaris aliquandiu Cancellarius, S. Ansfrido ſuccedit in Trajectenſem Pontificatum, Cælitum Imperatricis & ipſe amantiſſimus, cujus ſui amoris cultuſque Theſſeram Orbi & poſteritati monimentum inſigne reliquit, tam metro quàm proſâ laudes Tutelaris ſuæ celebrans, aliorumque Sanctorum elogia pertexens.

1006. 527. Claret admirabili vitæ ſanctitate B. Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus, qui ſub hoc tempus ipſiuſmet Divinæ Matris voluntate atque indicio, Tuitienſe ad Rhenum fluvium propè Coloniam Monaſterium fundat & abſolvit, quod Otthone III. regnante cœperat, cujus etiam liberalitate eſt adjutus. Cum enim dubitaret quem ipſe condendo locum eligeret, idq; ipſum

Virgi-

Ann. Chr. | S. P. N. Virgini commendaret, audiit illicò clientem misericordiæ Mater, designansque locum dæmonum priùs cultu infamem, ipsum priùs mundari jussit, *ut ubi quondam*, (inquiebat illa) *abundavit peccatum, ubi justitia regnet in multitudine Sanctorum.*

1008. 528. Berno illustri genere Vir, nec minùs illuster eruditione, B. V. M. Augiensi Cœnobio præficitur, Dominæ suæ cultor singularis, cujus ipse diem propriam Sabbathum honorans, librum integrum de jejunio Sabbathi concinnavit.

1009. 529. Iterùm Reginæ Martyrum cliens & pugil lectissimus, Apostolatum suum Martyrio coronat, S. Bonifacius Otthonis III. Imp. Consanguineus, primus Gnesnensium Archiepiscopus, Ruthenorum Rege ad fidem adjuncto, ipse à Regis fratre interemptus, quem tamen ipsum à morte grandi miraculo, silicis instar stupentem, sospitati restitutum Ecclesiæ gremio indidit.

1010. 530. Hoc tandem anno mortalitati finem imponit S. Aufridus seu Ansfridus, ex Trajectensi Pontifice Deiparæ Servulus, plurium tantæ Matris Ecclesiarum Fundator & Restitutor, in ejusdem Dominæ suæ quo se vivum abdiderat Cœnobio conditus à morte & miraculis illustratus.

1012. 532. Adelbero noster è Monacho S. Blasij in Hercinia, Basileæ Rauracorum lectissimus Pontifex, æternum Mariani amoris sui condens monimentum, Cathedralem Deiparæ Basilicam ab Ungaris quondam vastatam, maximis sumptu, mole, atque opere molitur.

1013. 533. Hoc ipso anno nascitur B. Hermannus Contractus, Augiensis Monachus, Wolfhardi Veringensis Comitis filius, Deiparæ amoribus, ut suo videbimus loco, illustrissimus, Author suavissimæ illius Antiphonæ: *Salve Regina &c.*

1014. 534. S. Henricus Imperator à Benedicto Papa solemni ritu Coronâ Imperiali redimitur, qui cum Deiparæ servire Imperio omni potiùs haberet, Coronam hoc ipso anno Augustissimæ illius Cluniacensis Congregationis MARIANAE Præsidi sancto Odiloni transmisit, qui pauperum Advocatum in suis honorans

Ann. Chr.	S.P.N.	
		pauperibus nullo auri respectu ipsam comminuens in pauperes elargitus est.
1015.	535.	Moritur sæculo etiam alterâ vice S. Bernvvardus noster, Hildesheimensis Episcopus, qui cucullum olim in Augiensi amplexus Cœnobio, ad Pontificatum extractus, hoc anno denuò honores mundi fugiens, Cœnobio sese velut sepulchro includit. Fuit Deiparæ amantissimus, cujus honori plurimum consuluit, ejusque ante aram sepeliri voluit, insignibus illic miraculis commendatus.
1016.	536.	Eminet præcipuâ in Imperio auctoritate Erchenboldus Moguntinensis ex Monacho Fuldensi Archiepiscopus, qui studium suum in Deiparentem immortali monimento testatus Basilicam eidem addito Canonicorum Collegio exstruxit & dotavit, quod deinceps S. Crucis appellatum est.
1018.	538.	Moritur hoc anno Lambertus Constantiensis ad Rhenum è Monacho Petrusiano Episcopus, qui Dominam suam studens demereri, amplissimum ejus templum magnificentiùs exstruxit & ornavit.
1019.	539.	Basileensis nobilissima illa magnæ Matris Cathedralis Basilica ab Adalberone nostro, connitente Henrico Cæsare ad summum deducta hoc anno præsentibus Divis Imperatoribus Henrico & Chunegunde Conjugibus Virginibus in Principum Procerumque innumerabili frequentia solemnissimè consecratur.
1020.	540.	Hoc ipso anno illud egregium Ordinis & Cæli Mariani Sydus B. Hermannus Contractus, Comes Veringensis, ut ipse testatur, litteris est traditus in Monasterio B. M. V. Augiæ Divitis, ubi deinceps tantus Deiparæ Tutelaris suæ & Magistræ institutione evasit.
1021.	541.	Regna æternitatis, Reginæ Cælorum Palatia subit S. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, qui Tuitiense ejusdem honori Monasterium, eo quo ipsa jusserat & monstraverat loco condidit, in eodem ipse sepultus.
1022.	542.	S. Henricus noster, Imperator Augustus sub hoc ferè tem-

pus

Ann. Chr. S.P.N. pus insigni benevolentiæ signo à Regina & Imperatrice Cælitum honoratur, cùm in Ecclesia S. M. Majoris Romæ pernotaret. Christum siquidem ipsum, cælestia inter servitia Sacris in ara Divinæ Matris operari intuitus, mirificè recreatus, etsi non sine sacro quodam horrore, est, cum ad Introitum Missæ: *Suscepimus Deus &c.* sive potiùs ad versum Introitûs: *Iustitia plena est Dextera tua &c.* Conversus Christus, & præsens tanta Mater, intento in Henricum digito, ipsum indigitarent, Cælitibus idipsum universis imitantibus. Finito Evangelio librum Angelus cum Christo tum Matri gloriosissimæ osculandum præbuit, quæ Angelo innuit, Henrico etiam ut porrigeret, jubens insuper (magnâ omninò gratiâ & dignatione) *Præbe ei pacis osculum, cujus mihi Virginitas placet.* Cumque is nimio raptus amore & gaudio jam porrò oculis intendere atque animo nequiret, Angelus in nervo S. Imperatorem tangens: *Hoc tibi*, inquit, *erit signum dilectionis DEI, ob tuam Castitatem & Iustitiam.* Quo quidem ex tempore manifesto apparitionis signo claudicans, indè quoque Claudi cognomentum accepit.

1023. 543. Idem Henricus, etsi educatione, imò in vita omni noster esset, solâ differentiâ vestis, verè tamen Monachus etsi purpuratus, hoc tamen anno etiam votis in manus Theobaldi Casinatis Abbatis in præsentia sacri cætus emissis, Casinatibus adscriptus est, cùm prodigiosissimè à S. P. N. BENEDICTO calculi morbo, desperatus à Medicis, tanto inquam à Medico & Tutelare suo esset liberatus. Cæterùm in sacra Obedientiæ virtute, res negotij curare jussus, ijsque expeditis reverti, obedientiæ: ut posteà videbimus immortuus, voti minimè reus, sed compos obijt, & ad præmia eorum, qui reliquerunt omnia, & coronam Regni æterni evolavit.

1024. 544. Anno Christi millesimo vigesimo quarto, verè Virginum Virginis amicus, uti Virginis Sponsus, commendatâ Principibus his verbis Conjuge: *Recipite*, inquit, *quam mihi tradidistis Virginem vestram.* Cæterùm Henricus prætertot, toto Imperio fundatas à se Deiparæ Ecclesias, vix ullum ejus templum

Ann. Chr.	S.P.N.	
		seu Monasterium præterijt, quin vel restitueret, vel dotaret seu ornaret, memorabili exemplo, adeò cultui ejus deditus, ut quandocunque urbem aliquam ingrederetur, in qua Divinæ Matris Ecclesia esset, non obiter tantùm in ipsa Dominam suam salutaret, sed primam noctem, etsi fatigatissimus, precandi gratiâ in eadem excubaret, quin & aureo dein Calice Tutelarem suam honoraret.
1025.	545.	S. Kunegundis Imperatrix, Imperatrici Cælorum non minùs, quàm Virgo maritus, devota, in Monasterio Confugiensi quod recèns condiderat, ipsa inter Dedicationis solemnia exuta purpuram, Benedictinum, quem ipsa suis sibi texuerat manibus, habitum induit, facta deinceps ex Augusta Ancilla ancillarum Marianarum, cùm innumeras penè anteà magnæ Matris Ecclesias, Einsidlensem imprimis, varijs donationibus honorasset.
1026.	546.	Moritur venerabilis Virandus, Comes Wandelburgius & Castrensis, Abbas Einsidlensis, S. Gregorij Angelici planè viri discipulus, & Successor felicissimus, miraculorum Antecessoris sui oculatus testis, Dominæ suæ amantissimus, sub quo loci illius sanctitas mirificè se prodidit, & cultus Divinæ Matris summopere crevit. Ipse verum Patremfamilias domus Marianæ se demonstrans, magnis virtutibus tantopere claruit, ut cunctis venerabilis, ab ipso Henrico Imperatore suo in Diplomate, Virandus Verendus & Venerandus, pulcherrimis sanè titulis appellaretur, honoraretur.
1027.	547.	Magnus ille Marianæ Congregationis CAMALDULENSIS familiæ Conditor S. Romualdus moritur, cujus deinceps posteri tanto semper Deiparam affectu coluêre, ut vix uspiam cultus Virginum Virginis tantopere per tot ejusdem Festorum Octavas, ut vocant, aliaque pia exercitia viguisse hucusque videatur.
1028.	548.	Iterùm ingens terris lumen extinguitur, Cælis exoritur, sanctissimus ille Carnotensium ex Monacho S. Petri ejusdem urbis Episcopus Fulbertus, cui supremum decumbenti, anginâ

labo-

Ann. Chr. | S.P.N.

laboranti & sitienti, ipsa Cælorum Augusta adfuit, & (mirabile dictu!) sacra illa sua Ubera porrexit, meritumque suum clientem loco dignata filij, verè Collactaneum JESU faciens, lacte Virgineo refecit & recreavit. Ita quidem ut stillæ etiam lactis in vestem subjectam defluerent, exceptæque tanti amoris & gratiæ monimentum perpetuum Orbi & sæculis futuris essent, quæ magnâ reverentiâ in hodiernum usque diem Carnuti religiosissimè coluntur & asservantur.

Sub hoc ferè tempus nobilissimus & illustrissimus Juvenis B. Hermannus noster, cognomento Contractus, cùm infirmitati corporis remedium à Deipara rogaret, ab apparente eâdem datâ optione utrum mallet, integrè convalescere, an perpetuò debilem contractumque omnium scripturarum scientiâ instrui & donari, cùm hoc eligeret, sæculi sui miraculum evasit, Divinis humanisque litteris, linguis Græcâ, Latinâ atque Arabicâ mirè informatus.

1029. 549. Cultus Dominæ nostræ per nostros & propter nostros in Gallijs mirificè propagatur. Cùm enim Hugo Rex ejusque Conjux lectissima in ipso Regno quasi Monachos agerent, incredibile dictu est, quot Cœnobia, Ecclesias, aliasque memorias Divinæ Matris honori consecraverint: *Erant siquidem huic generationi* (inquit Helgaldus Actor sincerissimus apud Baronium) *speciales amici, Sancta videlicet MARIA, & Pater & Dux Monachorũ S. BENEDICTUS &c.* Qui multis aliàs prolixiùs eorundem Conjugum Regum pietatem & liberalitatem pro meritis depredicat.

Claret admirabili sanctitate & puritate S. Emericus Princeps, S. Stephani Regis non tam carne, quàm Spiritu S. Gerardi nostri filius, Cultor Cælestis illius Reginæ Ungariæ longè studiosissimus, qui ut erat Virgineus totus, puritatem cujusque ex odoris cujusdam mirifici fragrantia dignoscebat.

1030. 550. Novum Sydus terræ sese ostendit Cœlo jam tunc dignius, S. Joannes noster Gualbertus, qui supplici hosti pro amore Crucifixi, non solùm scelus condonans, sed & trementem complexus,

Ann. Chr.	S.P.N.	
		ſeu Monaſterium prætërijt, quin vel reſtitueret, vel dotaret ſeu ornaret, memorabili exemplo, adeò cultui ejus deditus, ut quandocunque urbem aliquam ingrederetur, in qua Divinæ Matris Eccleſia eſſet, non obiter tantùm in ipſa Dominam ſuam ſalutaret, ſed primam noctem, etſi fatigatiſſimus, precandi gratiâ in eadem excubaret, quin & aureo dein Calice Tutelarem ſuam honoraret.
1025.	545.	S. Kunegundis Imperatrix, Imperatrici Cælorum non minùs, quàm Virgo maritus, devota, in Monaſterio Confugienſi quod recèns condiderat, ipſa inter Dedicationis ſolemnia exuta purpuram, Benedictinum, quem ipſa ſuis ſibi texuerat manibus, habitum induit, facta deinceps ex Auguſta Ancilla ancillarum Marianarum, cùm innumeras penè anteà magnæ Matris Eccleſias, Einſidlenſem imprimis, varijs donationibus honoraſſet.
1026.	546.	Moritur venerabilis Virandus, Comes Wandelburgius & Caſtrenſis, Abbas Einſidlenſis, S. Gregorij Angelici planè viri diſcipulus, & Succeſſor feliciſſimus, miraculorum Anteceſſoris ſui oculatus teſtis, Dominæ ſuæ amantiſſimus, ſub quo loci illius ſanctitas mirificè ſe prodidit, & cultus Divinæ Matris ſummopere crevit. Ipſe verum Patremfamilias domus Marianæ ſe demonſtrans, magnis virtutibus tantopere claruit, ut cunctis venerabilis, ab ipſo Henrico Imperatore ſuo in Diplomate, Virandus Verendus & Venerandus, pulcherrimis ſanè titulis appellaretur, honoraretur.
1027.	547.	Magnus ille Marianæ Congregationis CAMALDULENSIS familiæ Conditor S. Romualdus moritur, cujus deinceps poſteri tanto ſemper Deiparam affectu coluêre, ut vix uſpiam cultus Virginum Virginis tantopere per tot ejuſdem Feſtorum Octavas, ut vocant, aliaque pia exercitia viguiſſe hucuſque videatur.
1028.	548.	Iterùm ingens terris lumen extinguitur, Cælis exoritur, ſanctiſſimus ille Carnotenſium ex Monacho S. Petri ejuſdem urbis Epiſcopus Fulbertus, cui ſupremum decumbenti, anginâ

labo-

Ann. Chr. S.P.N. laboranti & sitienti, ipsa Cælorum Augusta adfuit, & (mirabile dictu!) sacra illa sua Ubera porrexit, meritumque suum clientem loco dignata filij, verè Collactaneum JESU faciens, lacte Virgineo refecit & recreavit. Ita quidem ut stillæ etiam lactis in vestem subjectam defluerent, exceptæque tanti amoris & gratiæ monimentum perpetuum Orbi & sæculis futuris essent, quæ magnâ reverentiâ in hodiernum usque diem Carnuti religiosissimè coluntur & asservantur.

Sub hoc ferè tempus nobilissimus & illustrissimus Juvenis B. Hermannus noster, cognomento Contractus, cùm infirmitati corporis remedium à Deipara rogaret, ab apparente eâdem datâ optione utrum mallet, integrè convalescere, an perpetuò debilem contractumque omnium scripturarum scientiâ instrui & donari, cùm hoc eligeret, sæculi sui miraculum evasit, Divinis humanisque litteris, linguis Græcâ, Latinâ atque Arabicâ mirè informatus.

1029. 549. Cultus Dominæ nostræ per nostros & propter nostros in Gallijs mirificè propagatur. Cùm enim Hugo Rex ejusque Conjux lectissima in ipso Regno quasi Monachos agerent, incredibile dictu est, quot Cœnobia, Ecclesias, aliasque memorias Divinæ Matris honori consecraverint: *Erant siquidem huic generationi* (inquit Helgaldus Actor sincerissimus apud Baronium) *speciales amici, Sancta videlicet MARIA, & Pater & Dux Monachorũ S. BENEDICTUS &c.* Qui multis aliàs prolixiùs eorundem Conjugum Regum pietatem & liberalitatem pro meritis deprædicat.

Claret admirabili sanctitate & puritate S. Emericus Princeps, S. Stephani Regis non tam carne, quàm Spiritu S. Gerardi nostri filius, Cultor Cælestis illius Reginæ Ungariæ longè studiosissimus, qui ut erat Virgineus totus, puritatem cujusque ex odoris cujusdam mirifici fragrantia dignoscebat.

1030. 550. Novum Sydus terræ sese ostendit Cœlo jam tunc dignius, S. Joannes noster Gualbertus, qui supplici hosti pro amore Crucifixi, non solùm scelus condonans, sed & trementem complexus,

Ann. Chr. | S.P.N. xus, à Crucifixi imagine flexo capite quasi salutatur, totus deîn Crufixo se donans, & in cucullo Domino ac Dominæ nostræ serviens. De cujus ergà hanc affectu, & celeberrimo, sub ejus nomine ac Patrocinio, condito Ordine suo loco dicemus.

1031. 551. Moritur insignis ille Deiparæ servus, S. Dominicus noster, Abbas Sorensis in Campania, Dominæ primùm suæ in Monasterio ejusdem Ammoneo sese emancupans, qui bina deinceps ejusdem tantæ Tutelaris suæ honori Cœnobia condidit, innumerabilium, ut scribit Leo Ostiensis, patrator mirabilium, & Spiritu Prophetico illustratus.

Extinguitur eodem anno B. Adilhelmus Abbas, qui cùm magnæ Matris Cultor esset eximius, ope ac sumptibus Conradi Baronis de Seldenbüren, illustre tantæ Virginis honori Cœnobium in Helvetia construxit, quod dum moliretur, & nec dum de area satis deliberatum esset, ipsa Deipara probare visa est, eo ubi deinceps condidit loco, Angelorum cælesti Musicâ honorato & quasi designato, quod Callistus II. Pont. Max. *Angelorum* ab eo miraculo dici voluit, etsi consecratum nomini *REGINÆ Angelorum*. Decessit Adilhelmus propè nonagenarius, è cujus Virginei dilectoris tumulo miram plurimi Cælestis odoris percipiunt fragrantiam, quem ob raram miraculorum gratiam incolæ & accolæ religiosissimè venerantur.

Moritur item S. Wilhelmus Abbas Divionensis, ab utero & in utero Cælorum Reginæ commendatus, quo prægnans Mater nocte quadam mamillam suam dextram solis radio illustrari, Angelosque prolem suam magnâ circumfusam luce altius efferre intuita, pavore simul & gaudio perfusa, *Sancta Mater Domini Salvatoris*, exclamavit, *tibi committo, custodi illum*. Quem dein septennem eadem cum Roberto Genitore DEO ac ac Deiparæ devovit, & in Monasterio B. M. V. & S. Michaëlis Luciacensi obtulit, magnis posteà miraculis à Numine illustratum. Cujus insigne & æternum cultûs Mariani argumentum illud inter spectatiora Europæ Monasteria Fructuariense fuit,

Ann. Chr. S.P.N. fuit, quod Wilhelmus tantæ Tutelaris suæ honori exædificans ejusdem sacratissimo nomini consecravit.

1032. 552. Effulget hoc ipso tempore magno virtutum fulgore S. Bartholomæus Cryptæ Ferratæ Abbas, qui ad Abbatialem promotus dignitatem, occasione opum ad honorem suæ Dominæ usus, eum quamprimùm insigni ad honorem eiusdem exstructâ Basilicâ honoravit. Idem alia inter præstantissimi ingenii monimenta, librum in laudem tantæ Matris & Virginis elegantissimum scripsit, eoque amorem suum ergà Cæli Reginam posteritati omni testatissimum fecit.

1033. 553. Decessit hoc anno à terreno ad immortale Regnum Religiosissimus Princeps Robertus Galliarum Rex, ipsis in Regno ipso absolutissimis Monachis accensendus, quibuscum, quantùm per Regni licuit negotia, perpetuò convixit, qui cùm Deiparam incredibili coleret affectu, præter plurima eiusdem honori condita seu restituta Cœnobia, celebrem illam *Nostræ Dominæ de Campis* propè Parisios condidit Basilicam, cuius in Choro (uti aliàs semper solitus erat cum nostris Chorum frequentare, Psalmosque & horas decantare, cùm aliquando Deiparæ laudes magnâ animi alacritate decantaret, muri Avalonis, quam tunc urbem obsidione cinxerat, sponte, ut Hierichuntini quondam muri, corruerunt.

1034. 554. Cluniacensis propria Deiparæ familia, se longè lateque per Orientem quoque extendens, Reginæ suæ & Matrisfamilias honorem & cultum magnopere promovet, in Bethleemitico præcipuè celeberrimo Dominæ suæ Cœnobio, in quo ipso olim Treverensis S. Simeon noster Monachum egit, indè Montis Synai Abbas postulatus, donec ab Archiepiscopo Treverensi in

1035. 555. Germaniam abduceretur, mortuus anno Ch. 1035. cùm multò ante corporis sui prædixisset resolutionem magnis deinceps clarus miraculis.

Eodem anno Herluinus Abbas, insigni Gælitum Augustam monimento honoravit, condito illustrissimo illo B. M. V. Beccensi Cœnobio, è quo magni illi magnæ Virginis Do-

Ann. Chr.	S. P. N.	
		mestici SS. Lanfrancus & Anselmus Cantuarienses Archiepiscopi prodiêre.
1036.	556.	Celeberrimus ille Ungarorum Moravorumque Apostolus S. Gerardus noster, cultum Dominæ suæ, quàm inexplicabiliter dilexerat, summo studio promovet, ea teneritudine filiolus Matrem illam Virginem diligens, ut nomen ejus exaudire non posset, quin totus in lacrymas deflueret, cavens de cætero ne nomen ejus profano ore nuncuparetur, neque aliter quàm *Dominam nostram* volens & præcipiens appellari, cujus statuam haud aliter atque Panem Eucharisticum in Tabernaculo collocans, inauditâ ad hanc usque diem reverentiæ significatione, adhibitis dies noctesque excubitoribus, ne ignis, ne odoramenta deficerent, perpetuo Thymiamate honoravit.
1037.	557.	Extinguitur eâ quàm prædixerat die S. Gotthardus ex Monacho & Abbate Altaichensi Hildesianus Episcopus, specialissimus Cæli Reginæ cliens & dilectus, cujus honori elegantissimam in monte sancto Basilicam struxerat, quæ ipsum quoque honorare visa, cùm neque Cæsaris neque Pontificum suasionibus præcibusque cedens, Episcopatum admittere annueret, splendidissimæ Matronæ cultu per noctem ipsi apparens, ipsum manu ad Ecclesiam ducere inter SS. Virginum comitatum, videbatur, & ut veniam à Crucifixo peteret admonere, qui sub illis psallentium verbis: *Infunde unctionem tuam &c.* experrectus, reclamare dein ausus non est, adeoque Dominæ suæ monitis acquievit. Claruit à morte magnis miraculis, & ab Eugenio III. Pont. Max. in Sanctorum numerum relatus, postea Ecclesiæ & Diœceseos ejusdem Tutelaris Divus salutatus est.
1038.	558.	Ad Dominam & Reginam suam Cælitum Imperatricem S. Stephanus Ungariæ Rex, an illius Vice-Rex hoc anno emigrat, qui non minùs quàm Robertus, de quo suprà, Galliarum Rex Monachi vitam in purpura gessit, Chorum cum Monachis frequentavit, totum cum eisdem Deiparæ factus, cùm Ungaros suos non aliter quàm Deiparæ familiam appellaret, exorans

Ann. Chr. | S.P.N orans Dominam suam & impetrans, ut gloriosissimo Assumptionis ejus Festo moreretur.

1039. 559. Hoc anno Embricus Baro ab Abensperg Basilicam Deiparentis Einsidlensem magno exædificatam sumptu, solemnissimè dedicari curat, ab Eberhardo Constantiensi Episcopo, Comite Kyburgensi, quam superioribus annis incendium vastaverat.

1040. 560. Cælo ingreditur dilectissimus magnæ Matris & Virginis Domesticus S. Robertus primus Abbas Casæ-Dei, qui infantulus etiamnùm & lactens, Virginum Virgini se deberi insigni argumento demonstravit, cùm impudicæ fortè nutrici traditus, ejus ubera horruit, & nocentem innocens atque infans prodidit. Is Deiparæ posteà in Collegio & Congregatione Cluniacensi se devovens, amantissimum illum magnæ Matris Odilonem Magistrum habere meruit, ipse denique novæ Marianæ familiæ apud Casam-Dei conditor & Abbas effectus, cujus vita omnis merum miraculum fuit.

Extinguitur eodem anno S. Kunegundis Imperatrix nostra & Monialis. De cujus erga Dominam affectu jam satis superiùs dictum est.

1041. 561. Remittit hoc anno Polonis Mariana Cluniacensis familia formatissimum Regno, Reginæ Cæli domesticum, S. Casimirum, ex absolutissimo Monacho, Regem absolutissimum, Religionis votis à Rom. Pont. ad instantiam Regni & Procerum absolutum qui Regnum id suum deinceps uti S. Stephanus Ungaricum, Marianum planè effecit, & multo nomine de Polonis, quin & Cælo æternùm meruit.

1042. 562. Martyrio coronatus est hoc anno gloriosissimus ille Ungarorum & Moravorum Apostolus S. Gerardus, Cultor Virginum Virginis tantus ac talis, qualem vix sæculum ullum vidit, cujus precibus nihil non impetrari posse à Regina illa Cæli & Ungariæ credimus, eò quòd statuisset ille, nemini quidquàm per nomen ejus petenti denegare. Scripsit idem librum integrum de laudibus Tutelaris suæ; cujus etiam Sabbathum adeò

Ann. Chr. | S.P.N.

solemne voluit, ut haud aliter quàm Assumptæ Festivitatem, integro & solemni novem Lectionum Officio celebrari voluerit, perque omnes suæ Diœceseos Ecclesias idipsum imperaverit.

1043. 563. Claret egregiâ vitæ sanctitate S. Fantinus Abbas Calaber, qui Saracenis Cœnobium vastantibus, ad eremum, inde in Peloponesum migrans apud Corinthum substitit, plurimisque salutis causa fuit. Is Deiparentem Virginem præcipuè coluit, & varia loca peregrinationis studio pererrans, ad quietem denique reversus Cellulæ, sancto fine quievit.

1044. 564. Sub hunc ferè annum insigne Deiparæ templum struit B. Athanasia Vidua, viduitatem suam in cucullo dein solata, Dominæ suæ gratissima, quæ cùm longè quandoque à prædicto, quod condiderat, templo abesset, per visum, cælesti voce invitari se, & fores ejusdem sibi patere cognovit.

1045. 565. Rursum insignis Marianæ novæ familiæ Cavensis scilicet, celeberrimæ Congregationis Author S. Alferius Abbas exsplendescit, magnum sanè Magistrum S. Odilonem nactus, à quo Cluniacum missus, Salernitani posteà Principatûs regenda Monasteria suscepit, & maximis in vita ac post mortem miraculis refulsit.

1046. 566. Sole clarior effulget B. Theodomarus, quondam Agnetis Imp. Sacellanus Casinensis Monachus, Deiparæ addictissimus, quem sacris ad aram ejusdem operantem Stephanus Capuanus vidit auream margaritis ornatissimam coronam gestantem, cumque aliâ die ad honorem Dominæ suæ Numini litaret, & B. Ebizo ipsi ministrare negligeret, correptus ab Angelo est. Ecce, cui tu servire contemnis, quomodo ei Angeli serviunt, & vidit duos Angelos ad dextram unum, alium ad sinistram, cujus aliàs sacrificantis scapulæ candida columba insidere visa est.

1047. 567. D. Gerardi Canadiensis Episcopi mortem huic anno assignant nonnulli, quorum auctoritatem quondam sequuti sumus, neque hodie impugnamus, etsi aliorum opinione quadriennio

nunc

Ann. Chr.	S.P.N.	
		nunc prævertirimus, quod placere nonnullis, qui res Ordinis tradunt, animadvertamus.
		Claret S. Petrus Damiani, mirificus Dominæ nostræ Domesticus, de cujus fidelissimis obsequijs suo loco dicemus.
1048.	568.	Moritur *Admirabilis ille Odilo Cluniacensis* Abbas, (ita Annales Eccles.) *sæculi hujus astrum lucidissimum, quem Reges Imperatores, atq; Romani Pontifices coluêre, quemq; pro egregiâ virtutum excellentia, Fulbertus nominat Archangelum &c.* De cujus ergà Deiparam devotissima affectione, cùm ipsum, infantulum etiamnum certè vix fari doctum, ad aram suam reptitantem, Domina piè respiciens, prodigiosè curasset, aliàs prolixè; brevissimis autem verbis multa dicens Damianus: DEI Genitricem, *omnibus*, inquit, *votis dilexit, coluit, atq; pro viribus in omni vita sua glorificavit &c. ad quam tam ardentissima devotione flagrabat, ut constitutus in Choro psallentium, cùm ad illum veniretur ex modulantium exalternatione versiculum: Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum, in terram se prosterneret, sicq; per corpus ostenderet, quibus desiderij cælestis in mente facibus æstuaret &c.* Ita S. Damianus.
1049.	569.	Eligitur Pontifex Maximus felicissimus Divinæ Matris cultor S. Leo eo nomine nonus, quem familiaris ille Cælitum Reginæ Domesticus S. Hildeprandus Prior Cluniacensis, posteà Gregorius VII. dictus, authoritate Cæsaris designatum, persuasit ut Pontificatum quasi malè acquisitum dimitteret & Clero Populoque Romano liberam electionem restitueret, universis ob idipsum denuò ipsi summum honorem deferentibus, sub quo deinceps Damiano imprimis promovente Deiparæ cultus longè lateque maxima incrementa sumpsit.
1050.	570.	Hispanias sanctitatis famâ implet S. Dominicus noster Calciatensis, qui sponte pro Christo exul, modicâ sibi constructâ cellulâ, Sacellum huic Deiparæ sacrum addidit, sibique dilectissimam Dominam, quanto pro viribus & facultate poterat, monimento honoravit, diesque ac noctes eidem quam diligentissimè illic inservijt, ab eadem vicissim honoratus, ita ut eo-

Ann. Chr. | S. P. N. dem quo dein sepultus est loco, Basilicam & Civitatem posteri condiderint, ab ipso quem delegerant Tutelare S. Dominici Calciatensis cognominatam.

1051. 571. Magnis progressibus & eximio sanctitatis splendore novella Deiparæ familia Camaldulensis cælo se probat & terris, è cujus primatibus hoc ipso anno cælis immigrat S. Petrus Dagninus è primis S. Romualdi nostri discipulis lectissimus, cui Petrus in fundanda illa tam nobili Virginis aula quàm diligentissimè adstitit, tantamque Dominam insigniter demeruit, tanti à Fundatore ipso factus, ut primum ipsum sacræ Eremi Priorem perpetuum constitueret, lectissimamque ipsi Congregationem commendaret.

Moritur hoc annô B. Bardo noster è Monacho & Abbate B. M. V. Fuldensi, Archiepiscopus Moguntinus, Encomiastes Deiparæ insignis, qui egregiâ sanctitate Electoralem exornans dignitatem, ob summam eloquentiam, *Germanorum Chrysostomus* meruit appellari.

1052. 572. Iterùm illustrissimum Mariani nominis apud nostros monimentum erigitur, Monasterium S. MARIAE de Real, in civitate Najara in Hispanijs, de cujus præstantia fusè tractat hoc anno Antonius Jepesius.

1053. 573. Floruit sub hoc tempus B. Gebizo Monachus Casinas, Deiparæ dilectus, cui ipsa morituro adfuit rogavitque: si diutiùs vivere vellet, cui ille, non; & illa: Veni ad me, quo ille audito mox felicem efflavit animam.

1054. 574. Duo insignia Ordinis & familiæ Marianæ Sydera occumbunt hoc anno, S. Leo IX. Pont. Max. sub quo Deiparæ cultus novo, imò primævo Ordinis fervore exarsit, & B. Hermannus Contractus, cujus in hodiernum usque diem, toto terrarum Orbe Mariani amoris perennant insignia, vera purissimi amoris instrumenta, quibus innumera tot sæculis corda quasi follibus inflammata sunt, dulcissimæ nimirùm Antiphonæ illæ: Salve Regina. Alma Redemptoris. & Ave Regina Cælorum &c. Innumerabilibus deinceps concentuum modis variata,

Ann. Chr. S.P.N. riata, gemitibus ac suspirijs fidelium interstincta, quibus Cælites ipsi non minùs quàm Terrigenæ delectari visi sunt, ad hanc non semel Musicam cælis evocati atque attracti.

1055. 575. Immortale meritum S. Petri Damiani nostri, instituto primùm apud Monachos suos Officij B. M. V. usu, non multò post in Ecclesiam universam introducto, quo ipso usque hodie non Monachi solùm & Clerici, sed & sæcularium tot millia, incredibili sanè fructu, servitium suum Cæli Reginæ commendant, & innumera quotidie averti cùm à se, tum diversis provincijs, imò Orbe universo mala & flagella impetrant.

1056. 576. In cælos evolat S. Stephanus noster, Grandimontensis novæ rursum familiæ Marianæ Conditor; pulcherrimæ Congregationis institutor; quem ipsa Divina Mater stupendo quandoque prodigio solata est, cùm is Cœnobij sui Benefactorem à præconibus captum intelligens; rem Dominæ suæ commendasset, captivo non solùm prodigiosè quamprimùm soluto, sed & qui cœperant, Divinâ virtute ligatis; & ad portum Cœnobij consistentibus; quos tamen ipse manu propriâ vinculis solvens pœnitentes domum remisit, amico libertatem gratulatus.

Eodem anno Rumoldus ex Einsidlensi Monacho Constantiensium Pontifex, verè Domesticum Deiparæ se probans, Cathedralem B.M.V. Basilicam Constantiæ magnâ mole exstruit, æternum præstantissimæ urbi cultûs sui Mariani statuens monimentum.

1057. 577. Moritur hoc anno Leofricus Comes, Leofvvini Ducis filius, insignis Monasterij B. M. V. Coventrensis in Anglia Fundator; cujus fundationem Cœnobij certo anno dare nequivimus, morti Fundatoris reservantes; quod illustre sanè Dominæ nostræ monimentum deinceps Cathedralis Ecclesiæ honorem & decus meruit.

1058. 578. Cælorum scandit sublimia S. Stephanus noster eo nomine nonus, Gozilonis Lotharingiæ Ducis filius, Monachus Casinas, qui Officij Mariani Præconum S. Petrum Damiani Cœnobio

Ann. Chr.	S.P.N.	
		nobio extrahens Cardinalem creavit, cujus exemplo usus Officij à Monachis etiam ad Clericos transijt. Idem Stephanus nuper conditum Coventrense B. M. V. Cœnobium Cathedrale esse voluit, simulque Dominam suam & Ordinem honoravit.
1059.	579.	Iterùm pulcherrimum Divinæ Matri apud nostros monimentum consurgit, Monasterium B. M. V. Othmarsheimense, quod sub hoc tempus Rudolphus Ergoviæ & Suntgoviæ Comes condidit.
1060.	580.	Supremus hic annus S. Dominico nostro, cognomine Loricato, admirando sacri rigoris exemplari, quem B. Alanus de Rupe Ord. Prædicatorum sydus singulare, Deiparæ Secretarius & Sponsus, inter principes Psalterij Mariani Cultores numerat, una atque eadem die Psalterium idem novies ac decies, ad honorem Dominæ ab eodem recitatum.
		Eo ipso anno alter item Dominicus noster, cognomento Calciatensis mortalitati valedixit, de cujus ergà Dominam affectu jam superiùs dictum est.
		Eodem anno Messinense Virginum Benedictinarum Cœnobium, Morinensis olim, hodie Iprensis Diœceseos, ab Adela sive Adelheide Balduini V. Flandriæ Comitis conjuge, Roperti Capeti Galliarum Regis filia, in honorem Deiparæ conditur, loco defensæ prodigiosissimè à Numine trium Virginum puritatis imprimis memorabili. Quæ cùm illic pecora pascerent, à supervenientibus militibus tentatæ, priùs quàm annuerent, vivæ à terra absorberi à DEO & Deipara impetrârunt. Illic à prædicta Comitissa, effossâ humo, post annos aliquot repertæ, & nobili Mausolæo, tanto nimirùm inædificato Virginum Cœnobio honoratæ, quo deinceps loco Deipara admirandis prodigijs se prodidit, & infinitam usque hodie peregrinantium turbam, ad accipienda beneficia invitavit & traxit.
1061.	581.	Claret eximiâ vitæ sanctitate B. Agnes Imperatrix Henrici III. Imp. Conjux Augustissima, quæ post mortem mariti

Pro-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Procerum invidiâ an ambitione ab Administratione Imperij amota, Divinæ Matris Cœnobium Fructuariense ingressa, Officij Mariani & Psalterij præcipuum Præconem S. Petrum Damiani Magistrum & à confessionibus habere meruit, & Ancilla jam Dominæ ex Imperatrice facta, Magistri tanti per omnia sequuta exemplum, inter lectissima Cœli Mariani Sydera celebrari meruit.
		Conditur B. M. V. ne Stou per Remigium Dorcestrensem Episcopum.
1062.	582.	Inter præcipuæ Nobilitatis mancipia Cœlorum Augustæ devotissima effulget sub hoc tempus B. Marinus Monachus, frater S. Petri Damiani, qui suam ergà tantam Matrem testaturus devotionem, depositis nudatus vestimentis, collo corrigiam qua cingebatur innexuit, & altari se B. Dei Genitricis, velut servile mancipium tradidit; mox se quasi servum malum coram Domina sua fecit verberibus affici.
1063.	583.	Petrus haud vano cognomine Igneus sacram Deiparæ familiam nostram Vallis Umbrosæ illuminatissimam, & accensissimam reddit, qui jussu Magistri sui Joannis Gualberti, ut ostenderet labem Simoniacum Deo invisam esse, spectante populo Florentino ignem in medio succensum nudis pedibus illæsus pertransijt, non multò post S. R. E. Cardinalibus pro meritis accensus.
		Einhamense B. M. V. conditur per Balduinum Lilanum.
1064.	584.	Albericus S. R. E. Cardinalis è Monacho Casinate, felicissimus Hæresiarchæ Berengarij triumphator, minimè degenerem S. P. N. filium sese demonstrans, cultum Dominæ suæ & honorem promotum ad omnem volens æternitatem, pulcherrimum, de Virginitate ejusdem librum composuit, eoq; Cæli Reginam ejusque cultores omnes immortaliter demeruit.
1065.	585.	Nobilissimum illud superæ Germaniæ Archisterium Hirsaugiense conditur, cui hoc ipso anno Rector & Abbas è promptuario illo & penu Mariano Einsidlensi B. Fridericus petitur & mittitur, absolutissimæ exemplar puritatis & sanctitatis.

Q Mori-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Moritur eodem anno S. Rudolphus Episcopus Eugubinus, S. Petri Damiani discipulus, eximij Officij Mariani seu Cursûs, ut vocant, B. M. V. Horarij Zelator & promotor, cujus vitam planè mirandam ipse sanctissimus ejusdem Magister descripsit.
1066.	586.	E terreni Regni pulveribus ad splendores æterni emigrat S. Eduardus Angliæ Rex, idem in conjugio & Regno Virgo & Monachus, Virginum Virginis lectissimus Amasius, qui solus tot Cœnobia & templa Dominæ suæ, & nostri Ordinis Monachis condidit, ut Mariani sanè Regni haud immeritò nomines Conditorem. Ejus juramentum illud solemne fuit: Per DEUM, inquiebat, & Matrem ejus, ex quo nunquam Mariani fuisse immemorem amoris facilè suspiceris. De quo nos uberiùs in Ephemeridibus Marianis.
1097.	587.	Superstes etiamnum Deiparæ cliens & Domesticus meritissimus, Guido Aretinus, Damiani Collega & æmulator strenuus, Hæreticorum fulmen & malleus. Idem notarum Musicarum: ut, re, mi, fa, sol, la, inventor ingeniosissimus, ut Musicam quoque deberi Marianis nostris Scholis non ignores, inque notis singulis Dominam, Musices Magistram, Cantici Canticorum animam venereris.
1068.	588.	Circiter Adelheides Comitissa, Balduini Flandriæ Comitis Vidua, in Monasterio nostro Messinensi jubetur à Deipara, cum insigni Crucis Dominicæ portione Processionem anniversariam instituere, proin ipsa Deipara filo serico rubro vias notat, cujus principium & finem glomerem planè evolvendo, ipsa dignata est summo altari alligare. Adelheides Romam profecta rem Alexandro II. Pont. Max, aperit, impetratque ut confirmaret, solemnitate ad 18. Kal. Oct. institutâ.
1069.	589.	Aliud magnæ Matri & illustre admodum erigitur monimentum, Florestense B. M. V. Cœnobium, quod condidit hoc anno Gillebertus Eques, & sacris Virginibus tradidit, quæ Virginum Virgini illic perpetuò deservirent.
1070.	590.	Corporis carcere solvitur beatæ memoriæ Abbas Rhemensis Elsinus,

Ann. Chr. S.P.N. Elsinus, Dominæ nostræ devotissimus, qui primus, conniten-te etiam S. Anselmo nostro Cantuariensi Archiepiscopo Festum Conceptionis immaculatæ Matris Virginis, immortali cum merito inchoavit & coluit, quod ipsum præ alijs Festum, suum peculiare & longè gratissimum esse contestata Cæli Regina, pro magnificentia Majestatis & pietatis suæ in Elsino utique suo agnoscens, gratissimè remuneravit.

Eodem anno Aureæ Vallis Monasterium à nostris ad honorem magnæ Virginis ædificatur.

1072. 592. Virgineus ille Virginum Virginis pugil S. Petrus Damiani hoc anno moritur, si quis ullus alius de Domina sua meritissimus, Officij Mariani usûs præcipuus author, Virgineæ puritatis, sacerdotalis quàm maximè promotor. De quo Baronius hoc anno: *Damianum quidem Deus*, inquit, *in hoc deploratissimo sæculo, cùm excrevisset ad Ecclesiam obruendam diluvium carnis, dedit mundo, qui austerissimo vitæ exemplo, verbiq; prædicatione & scriptis exsiccaret putredinem.*

1073. 593. Valedicit supremum conditæ à se Marianæ amplissimæ familiæ Vallis Umbrosæ S. Joannes Gualbertus, cùm triduum supremum ipsi SS. Angeli, tanquam Reginæ Angelorum Principi palatino, ministrassent, quem innumeris deinceps clarum miraculis Cælestinus III. in Sanctorum numerum retulit.

Hoc ipso anno mirabiliter summus Ecclesiæ Pastor eligitur S. Gregorius VII. Cluniacensis Monachus, Pontifex verè maximus, acclamante populo universo, *Hildebrandum Archidiaconum S. Petrus elegit.* Quo Promotore deinceps, si unquam anteà, Cultus Deiparæ per Orbem universum invaluit.

1074. 594. Claret, an extinguitur sub hoc tempus beatæ memoriæ Joannicius S. Joannis Gualberti discipulus, qui divinæ Matri in Valle ejus Umbrosa strenuè serviens, sub umbra illius quàm desideraverat feliciter obdormijt, quæ supremo in agone Joannicium suum præsentia sua dignata, spectabili ipsi formâ apparuit, & apparentibus similiter sanctissimo Patre nostro Benedicto & Apostolorum Principe Petro, felicem ipsius animam ad cælum assumpsit.

1075. 595. Obijt miraculis & Prophetico Spiritu clarissimus B. Anno Coloniensis Archiepiscopus ipso in Episcopatu, etsi non professione, vitæ tamen exemplo, & ipsâ observatione Monachus, Sigebergensis beatissimæ Matris Virginis Cœnobij conditor meritissimus, in tantis opibus adeò observans religiosæ paupertatis, ut sæpè nec nummum nec nummi pretium sub custodia sua haberet, omnia in pauperes & Cænobia profundens. Fuit amantissimus Maximæ Virginis, cujus patrocinio utendum nitendumque dicebat, & ut facerent ij, quibus præerat, frequenter admonebat.

1076. 596. Vivit hoc ipso tempore beatæ mem. Petrus noster Ambianensis ex Monacho Eremita, qui modum per calculos orandi primus adinvenit, & de Domina nostra æternùm meruit.

1077. 297. Moritur S. Gilduinus noster electus Dolensis Episcopus, de quo ita vetustissimus Scriptor Carnotensis: *Ecclesiam beatissimæ semper Virginis DEI Genitricis MARIÆ oraturus intravit, & exitum suum, quem sibi jam jamq; sentiebat imminere, eidem Dominæ ac Protectrici nostræ, Sanctisq; quorum ibi Reliquiæ habentur, devotissimis precibus studuit commendare. Capsam præcipuè, in qua ejusdem Dominæ nostræ pretiosissimum subtegmen contineri creditur, sæpiùs deosculatus, & quibus potuit modis veneratus est, protectionem inde & juvamen contra omnes aëreas potestates sperans sibi & implorans &c.*

1078. 598. Mortalitatem exuit B. Erluinus Abbas Beccensis, cliens maxumæ Tutelaris nostræ longè devotissimus, qui jussu Divino magnæ Matri Virgini celeberrimum illud Beccense struxit Cænobium, ubi magnos illos Cælitum Reginæ Palatinos Principes Lanfrancum & Anselmum Cantuarienses posteà Archiepiscopos educavit. Condidit etiam alterâ vice augustius & dignius Augustâ suâ idem Cœnobium Erluinus, ut Mariano cœtui magnis incrementis auctiori sufficeret, quod ipsum cum Ecclesia, non absque Numinis nutu, eo transiens Lanfrancus Archiepiscopus Deiparæ consecravit.

1079. 599. Moritur S. Leo eo nomine II. Cavæ Abbas, qui tanta cor-

dis.

Ann Chr.	S.P.N.	
		dis puritate excelluit, ut magnam illam Cælitum Imperatricem orationis tempore intueri meruerit, quâ tantâ gratiâ quâ-tùm devotione exarserit, faciliùs est ominari quàm explicare.
1080.	600.	Stupendâ prorsus magnaminitate Ecclesiam Matrem contra Schismaticos tuetur S. Gregorius VII. Pont. Max. Cultor Virginum Virginis planè singularis, quæ etiam in imagine sua maternum quasi ergà ipsum contestata affectum, eidem subindè arridere perquam familiariter visa est, & lachrymanti collacrymari, quem & periculosè quandoque decumbentem invisere, & per seipsam prodigiosè curare dignata est.
1081.	601.	Nova iterùm Deiparentis honori instituitur familia, eadem sub Regula S. P. N. militans, sacra Carthusiensium Congregatio, cui S. Hugo noster Gratianopolitanus Episcopus plurimùm patrocinatur, & Carthusianos montes dono dans, magnam Matrem in nova hac Sobole insigniter demeretur, cui deinceps Ordini ab ijsdem montibus nomen mansit Carthusianum.
1082.	602.	Neque minùs Dominam suam hoc anno in alio item ejusdem cliente, novæ similiter deinceps familiæ Institutore S. Norberto colunt, sibique devinciunt Sigebergenses Monachi nostri, apud quos ille prima ponit sanctitatis rudimenta, & gravibus posteà tempestatibus jactatus, quietem semper solatiumque reperit, eosdem promptissimos habens sui propositi promotores.
1083.	603.	Conradus Comes Luxenburgensis hoc ipso anno urbem ipsam egregio Divæ Virginis monimento ornat, condito celebri B. M. V. Cœnobio Luxenburgensi, & illustri inductâ Marianâ nostrorum coloniâ.
1085.	605.	Cælum triumpho implet Maximus ille Romanus Pontifex S. Gregorius VII. Divinæ Matris dilectissimus & familiaris amicus, de tanta Matre meritissimus, qui alia inter sanctè instituta, ut dies Dominæ nostræ propria, singulis hebdomadibus Sabbathum scilicet, perpetuâ à carnibus abstinentiâ celebra-

Ann. Chr.	S. P. N.	
		retur sancivit, & tantæ Tutelaris suæ Cultum magno Zelo promovit.
1086.	606.	Moritur celeberrimus ille Lucensium Episcopus & Tutelaris S. Anselmus, Gregorij VII. illius Deiparæ dilectissimi secretorum omnium conscius, imò dextra quasi ejusdem manus, Vir per omnia mirandus, Virginei imprimis corporis æternâ ad hanc usque diem incorruptione, Mantuæ in Cathedrali Basilica conditi, & magnis deinceps miraculis illustrati.
1087.	607.	Ipso Assumptæ Cælorum Reginæ gloriosissimo Festo ad triumphos ejusdem, uti præscierat, prædixeratque assumitur S. Arnulphus noster, Suessionensium Pontifex, qui cùm supremùm decumberet, à Cælitibus familiarissimè recreatus, ipsâ Deiparæ visitatione recreatus, cùm trino terræ motu ejus cella concuteretur, causam ipse jam moriturus his verbis edidit: Tertiâ concussione adfuit *Domina nostra, vera misericordiæ Mater multis stipata Sanctarum Virginum agminibus, benignissimâ voce me certiorem efficiens de anima mea, inter Assumptionis ejus gaudia in cælos transferenda &c.* Extinguitur eodem anno S. Victor III. è Principe Beneventano & Casinate Monacho Pontifex Max. qui juratissimos Deiparæ hostes Saracenos in Africa profligavit. Sub cujus brevi Pontificatu Officium B. M. V. latiùs propagatum officiosissimos magnæ Reginæ Cultores reddidit.
1088.	608.	Rursus admirabilis Matris maximus Cultor Pontificatum urbis & Orbis maximum meretur, B. Urbanus eo nomine II. Cluniacensis Monachus, qui vix adito Pontificatu Deiparæ quondam Sedem illam Toletanam, nuper recepto à Saracenis Toleto, honorans, Archiepiscopatûs & Primatûs dignitate honorat, & primo ejusdem Archiepiscopo S. Bernardo nostro Pallium mittit.
1089.	609.	Fulcit Ecclesiam robustissimum ejusdem fulcimentum, B. Gebhardus noster, è Duce Zäringiæ Hirsaugiensis Monachus, Constantiensium Pontifex, & Apostolicæ dein Sedis Legatus, idem non minùs calculo Deiparæ, quàm alter ejusdem Sedis Gebhardus ad eam dignitatem promotus, cùm novi Episcopi electio-

Ann. Chr. | S.P.N.

electionem, tantæ Matri & Diœceseos Tutelari ad aram ejusdem effusus in preces enixissimè commendasset, ipse quamprimùm electus, quo quidem electionis suæ nuncio adeò consternatus fuit, ut exanimis illico ad terram corrueret, columen deinceps non solùm Marianæ illius Ecclesiæ, sed universæ Germaniæ futurus.

1090. 610. S. Thiemo Salisburgensis ex Abbate S. Petri Archiepiscopus claret, Divinæ Matris amator singularis, qui Cæsaribus Schismaticis invisus, cùm pro Ecclesia Dei se murum opponeret, variè exagitatus, mœrorem suum amoribus castissimis Virginum Virginis solatur, & cùm plasticem ingeniosissimè calleret, in effigiandis Cælorum Reginæ iconibus ad miraculum usque se exercens, memoranda imprimis Mariani sui cultûs monimenta passim statuit, & usque hodie intuentes universos mirè afficit, & religioso admirabilis Matris amore accendit.

1091. 611. Corporis ergastulo solvitur B. Altmannus, è Wittinensium Ducum sanguine oriundus, è Monacho Magdeburgensi Pataviensium Episcopus, qui cùm Dei Matrem eximiè coleret, celeberrimum & spectatissimum ejusdem honori ac nomini Gotvicense in Austria inferiore Cœnobium condidit, in quo & à morte conditus alter secundùm Dominam suam Tutelaris est adoptatus.

Moritur eodem anno S. Wilhelmus Hirsaugiensis Abbas de Germania universa meritissimus, Reformator Monasteriorum præcipuus, qui desperatus aliquando à medicis, Dominæ nostræ prodigiosâ ope convaluit, in cujus etiam Sacellum, cùm supremùm decumberet, deportari voluit, & sacro illic Oleo inungi, ut quàm in vita impensè coluit, in morte etiam patronam mereretur.

1092. 612. S. Ratbodus noster ex Monacho S. Salvatoris Trajectensium Pontifex, Dominæ nostræ, ut ipsa est fassa, cultor singularis, cùm superiore anno Brugas insigni Deiparæ templo excoluisset, hoc anno Tornaci quoque ejusdem honorem plurimùm promovet,

Ann. Chr. | S.P.N.

dem quo dein sepultus est loco, Basilicam & Civitatem posteri condiderint, ab ipso quem delegerant Tutelare S. Dominici Calciatensis cognominatam.

1051. 571. Magnis progressibus & eximio sanctitatis splendore novella Deiparæ familia Camaldulensis cælo se probat & terris, è cujus primatibus hoc ipso anno cælis immigrat S. Petrus Dagninus è primis S. Romualdi nostri discipulis lectissimus, cui Petrus in fundanda illa tam nobili Virginis aula quàm diligentissimè adstitit, tantamque Dominam insigniter demeruit, tanti à Fundatore ipso factus, ut primum ipsum sacræ Eremi Priorem perpetuum constitueret, lectissimamque ipsi Congregationem commendaret.

Moritur hoc anno B. Bardo noster è Monacho & Abbate B. M. V. Fuldensi, Archiepiscopus Moguntinus, Encomiastes Deiparæ insignis, qui egregiâ sanctitate Electoralem exornans dignitatem, ob summam eloquentiam, *Germanorum Chrysostomus* meruit appellari.

1052. 572. Iterùm illustrissimum Mariani nominis apud nostros monimentum erigitur, Monasterium S. MARIAE de Real, in civitate Najara in Hispanijs, de cujus præstantia fusè tractat hoc anno Antonius Jepesius.

1053. 573. Floruit sub hoc tempus B. Gebizo Monachus Casinas, Deiparæ dilectus, cui ipsa morituro adfuit rogavitque: si diutiùs vivere vellet, cui ille, non; & illa; Veni ad me, quo ille audito mox felicem efflavit animam.

1054. 574. Duo insignia Ordinis & familiæ Marianæ Sydera occumbunt hoc anno, S. Leo IX. Pont. Max. sub quo Deiparæ cultus novo, imò primævo Ordinis fervore exarsit, & B. Hermannus Contractus, cujus in hodiernum usque diem, toto terrarum Orbe Mariani amoris perennant insignia, vera purissimi amoris instrumenta, quibus innumera tot sæculis corda quasi follibus inflammata sunt, dulcissimæ nimirùm Antiphonæ illæ: Salve Regina. Alma Redemptoris. & Ave Regina Cælorum &c. Innumerabilibus deinceps concentuum modis variata,

Ann. Chr. | S.P.N. riata, gemitibus ac suspirijs fidelium interstincta, quibus Cælites ipsi non minùs quàm Terrigenæ delectari visi sunt, ad hanc non semel Musicam cælis evocati atque attracti.

1055. 575. Immortale meritum S. Petri Damiani nostri, instituto primùm apud Monachos suos Officij B. M. V. usu, non multò post in Ecclesiam universam introducto, quo ipso usque hodie non Monachi solùm & Clerici, sed & sæcularium tot millia, incredibili sanè fructu, servitium suum Cæli Reginæ commendant, & innumera quotidie averti cùm à se, tum diversis provincijs, imò Orbe universo mala & flagella impetrant.

1056. 576. In cælos evolat S. Stephanus noster, Grandimontensis novæ rursum familiæ Marianæ Conditor; pulcherrimæ Congregationis institutor; quem ipsa Divina Mater stupendo quandoque prodigio solata est, cùm is Cœnobij sui Benefactorem à prædonibus captum intelligens; rem Dominæ suæ commendasset, captivo non solùm prodigiosè quamprimùm soluto, sed & qui cœperant, Divinâ virtute ligatis, & ad portum Cœnobij consistentibus; quos tamen ipse manu propriâ vinculis solvens pœnitentes domum remisit, amico libertatem gratulatus.

Eodem anno Rumoldus ex Einsidlensi Monacho Constantiensium Pontifex, verè Domesticum Deiparæ se probans, Cathedralem B.M.V. Basilicam Constantiæ magnâ mole exstruit, æternum præstantissimæ urbi cultûs sui Mariani statuens monimentum.

1057. 577. Moritur hoc anno Leofricus Comes, Leofvvini Ducis filius, insignis Monasterij B. M. V. Coventrensis in Anglia Fundator, cujus fundationem Cœnobij certo anno dare nequivimus, morti Fundatoris reservantes; quod illustre sanè Dominæ nostræ monimentum deinceps Cathedralis Ecclesiæ honorem & decus meruit.

1058. 578. Cælorum scandit sublimia S. Stephanus noster eo nomine nonus, Gozilonis Lotharingiæ Ducis filius, Monachus Casinas, qui Officij Mariani Præconum S. Petrum Damiani Cœnobio

nobio

Ann. Chr. | S. P. N.

nobio extrahens Cardinalem creavit, cujus exemplo usus Officij à Monachis etiam ad Clericos transijt. Idem Stephanus nuper conditum Coventrense B. M. V. Cœnobium Cathedrale esse voluit, simulque Dominam suam & Ordinem honoravit.

1059. 579. Iterùm pulcherrimum Divinæ Matri apud nostros monimentum consurgit, Monasterium B. M. V. Othmarsheimense, quod sub hoc tempus Rudolphus Ergoviæ & Suntgoviæ Comes condidit.

1060. 580. Supremus hic annus S. Dominico nostro, cognomine Loricato, admirando sacri rigoris exemplari, quem B. Alanus de Rupe Ord. Prædicatorum sydus singulare, Deiparæ Secretarius & Sponsus, inter principes Psalterij Mariani Cultores numerat, una atque eadem die Psalterium idem novies ac decies, ad honorem Dominæ ab eodem recitatum.

Eo ipso anno alter item Dominicus noster, cognomento Caleiatensis mortalitati valedixit, de cujus ergà Dominam affectu jam superiùs dictum est.

Eodem anno Messinense Virginum Benedictinarum Cœnobium, Morinensis olim, hodie Iprensis Diœceseos, ab Adela sive Adelheide Balduini V. Flandriæ Comitis conjuge, Roperti Capeti Galliarum Regis filia, in honorem Deiparæ conditur, loco defensæ prodigiosissimè à Numine trium Virginum puritatis imprimis memorabili. Quæ cùm illic pecora pascerent, à supervenientibus militibus tentatæ, priùs quàm annuerent, vivæ à terra absorberi à Deo & Deipara impetrârunt. Illic à prædicta Comitissa, effossâ humo, post annos aliquot repertæ, & nobili Mausolæo, tanto nimirùm inædificato Virginum Cœnobio honoratæ, quo deinceps loco Deipara admirandis prodigijs se prodidit, & infinitam usque hodie peregrinantium turbam, ad accipienda beneficia invitavit & traxit.

1061. 581. Claret eximiâ vitæ sanctitate B. Agnes Imperatrix Henrici III. Imp. Conjux Augustissima, quæ post mortem mariti

Pro-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Procerum invidiâ an ambitione âb Administratione Imperij amota, Divinæ Matris Cœnobium Fructuariense ingressa, Officij Mariani & Psalterij præcipuum Præconem S. Petrum Damiani Magistrum & à confessionibus habere meruit, & Ancilla jam Dominæ ex Imperatrice facta, Magistri tanti per omnia sequuta exemplum, inter lectissima Cœli Mariani Sydera celebrari meruit.
		Conditur B. M. V. ne Stou per Remigium Dorcestrensem Episcopum.
1062.	582.	Inter præcipuæ Nobilitatis mancipia Cœlorum Augustæ devotissima effulget sub hoc tempus B. Marinus Monachus, frater S. Petri Damiani, qui suam ergà tantam Matrem testaturus devotionem, depositis nudatus vestimentis, collo corrigiam qua cingebatur innexuit, & altari se B. DEI Genitricis, velut servile mancipium tradidit; mox se quasi servum malum coram Domina sua fecit verberibus affici.
1063.	583.	Petrus haud vano cognomine Igneus sacram Deiparæ familiam nostram Vallis Umbrosæ illuminatissimam, & accensissimam reddit, qui jussu Magistri sui Joannis Gualberti, ut ostenderet labem Simoniacum DEO invisam esse, spectante populo Florentino ignem in medio succensum nudis pedibus illæsus pertransijt, non multò post S. R. E. Cardinalibus pro meritis accensus.
		Einhamense B. M. V. conditur per Balduinum Lilanum.
1064.	584.	Albericus S. R. E. Cardinalis è Monacho Casinate, felicissimus Hæresiarchæ Berengarij triumphator, minimè degenerem S. P. N. filium sese demonstrans, cultum Dominæ suæ & honorem promotum ad omnem volens æternitatem, pulcherrimum, de Virginitate ejusdem librum composuit, eoq; Cœli Reginam ejusque cultores omnes immortaliter demeruit.
1065.	585.	Nobilissimum illud superæ Germaniæ Archisterium Hirsaugiense conditur, cui hoc ipso anno Rector & Abbas è promptuario illo & penu Mariano Einsidlensi B. Fridericus petitur & mittitur, absolutissimæ exemplar puritatis & sanctitatis.

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Moritur eodem anno S. Rudolphus Episcopus Eugubinus, S. Petri Damiani discipulus, eximij Officij Mariani seu Cursûs, ut vocant, B. M. V. Horarij Zelator & promotor, cujus vitam planè mirandam ipse sanctissimus ejusdem Magister descripsit.
1066.	586.	E terreni Regni pulveribus ad splendores æterni emigrat S. Eduardus Angliæ Rex, idem in conjugio & Regno Virgo & Monachus, Virginum Virginis lectissimus Amasius, qui solus tot Cœnobia & templa Dominæ suæ, & nostri Ordinis Monachis condidit, ut Mariani sanè Regni haud immeritò nomines Conditorem. Ejus juramentum illud solemne fuit: Per DEUM, inquiebat, & Matrem ejus, ex quo nunquam Mariani fuisse immemorem amoris facilè suspiceris. De quo nos uberiùs in Ephemeridibus Marianis.
1067.	587.	Superstes etiamnum Deiparæ cliens & Domesticus meritissimus, Guido Aretinus, Damiani Collega & æmulator strenuus, Hæreticorum fulmen & malleus. Idem notarum Musicarum: ut, re, mi, fa, sol, la, inventor ingeniosissimus, ut Musicam quoque deberi Marianis nostris Scholis non ignores, inque notis singulis Dominam, Musices Magistram, Cantici Canticorum animam venereris.
1068.	588.	Circiter Adelheides Comitissa, Balduini Flandriæ Comitis Vidua, in Monasterio nostro Messinensi jubetur à Deipara, cum insigni Crucis Dominicæ portione Processionem anniversariam instituere, proin ipsa Deipara filo serico rubro vias notat, cujus principium & finem glomerem plenè evolvendo, ipsa dignata est summo altari alligare. Adelheides Romam profecta rem Alexandro II. Pont. Max, aperit, impetratque ut confirmaret, solemnitate ad 18. Kal. Oct. institutâ.
1069.	589.	Aliud magnæ Matri & illustre admodum erigitur monimentum, Florestense B. M. V. Cœnobium, quod condidit hoc anno Gillebertus Eques, & sacris Virginibus tradidit, quæ Virginum Virgini illic perpetuò deservirent.
1070.	590.	Corporis carcere solvitur beatæ memoriæ Abbas Rhemensis Elsinus,

Ann. Chr. | S.P.N.

Elsinus, Dominæ nostræ devotissimus, qui primus, conniten-te etiam S. Anselmo nostro Cantuariensi Archiepiscopo Festum Conceptionis immaculatæ Matris Virginis, immortali cum merito inchoavit & coluit, quod ipsum præ alijs Festum, suum peculiare & longè gratissimum esse contestata Cæli Regina, pro magnificentia Majestatis & pietatis suæ in Elsino utique suo agnoscens, gratissimè remuneravit.

Eodem anno Aureæ Vallis Monasterium à nostris ad honorem magnæ Virginis ædificatur.

1072. 592. Virgineus ille Virginum Virginis pugil S. Petrus Damiani hoc anno moritur, si quis ullus alius de Domina sua meritissimus, Officij Mariani usûs præcipuus author, Virgineæ puritatis, sacerdotalis quàm maximè promotor. De quo Baronius hoc anno: *Damianum quidem Deus*, inquit, *in hoc deploratissimo sæculo, cùm excrevisset ad Ecclesiam obruendam diluvium carnis, dedit mundo, qui austerissimo vitæ exemplo, verbiq; prædicatione & scriptis exsiccaret putredinem.*

1073. 593. Valedicit supremum conditæ à se Marianæ amplissimæ familiæ Vallis Umbrosæ S. Joannes Gualbertus, cùm triduum supremum ipsi SS. Angeli, tanquam Reginæ Angelorum Principi palatino, ministrassent, quem innumeris deinceps clarum miraculis Cælestinus III. in Sanctorum numerum retulit.

Hoc ipso anno mirabiliter summus Ecclesiæ Pastor eligitur S. Gregorius VII. Cluniacensis Monachus, Pontifex verè maximus, acclamante populo universo, *Hildebrandum Archidiaconum S. Petrus elegit.* Quo Promotore deinceps, si unquam anteà, Cultus Deiparæ per Orbem universum invaluit.

1074. 594. Claret, an extinguitur sub hoc tempus beatæ memoriæ Joannicius S. Joannis Gualberti discipulus, qui divinæ Matri in Valle ejus Umbrosa strenuè serviens, sub umbra illius quàm desideraverat feliciter obdormijt, quæ supremo in agone Joannicium suum præsentia sua dignata, spectabili ipsi formâ apparuit, & apparentibus similiter sanctissimo Patre nostro BENEDICTO & Apostolorum Principe Petro, felicem ipsius animam ad cælum assumpsit.

1075. 595. Obijt miraculis & Prophetico Spiritu clarissimus B. Anno Coloniensis Archiepiscopus ipso in Episcopatu, etsi non professione, vitæ tamen exemplo, & ipsâ observatione Monachus, Sigebergensis beatissimæ Matris Virginis Cœnobij conditor meritissimus, in tantis opibus adeò observans religiosæ paupertatis, ut sæpè nec nummum nec nummi pretium sub custodia sua haberet, omnia in pauperes & Cænobia profundens. Fuit amantissimus Maximæ Virginis, cujus patrocinio utendum nitendumque dicebat, & ut facerent ij, quibus præerat, frequenter admonebat.

1076. 596. Vivit hoc ipso tempore beatæ mem. Petrus noster Ambianensis ex Monacho Eremita, qui modum per calculos orandi primus adinvenit, & de Domina nostra æternum meruit.

1077. 297. Moritur S. Gilduinus noster electus Dolensis Episcopus, de quo ita vetustissimus Scriptor Carnotensis: *Ecclesiam beatissimæ semper Virginis DEI Genitricis MARIÆ oraturus intravit, & exitum suum, quem sibi jam jamq; sentiebat imminere, eidem Dominæ ac Protectrici nostræ, Sanctisq; quorum ibi Reliquiæ habentur, devotissimis precibus studuit commendare. Capsam præcipuè, in qua ejusdem Dominæ nostræ pretiosissimum subtegmen contineri creditur, sæpiùs deosculatus, & quibus potuit modis veneratus est, protectionem inde & juvamen contra omnes aëreas potestates sperans sibi & implorans &c.*

1078. 588. Mortalitatem exuit B. Erluinus Abbas Beccensis, cliens maxumæ Tutelaris nostræ longè devotissimus, qui jussu Divino magnæ Matri Virgini celeberrimum illud Beccense struxit Cænobium, ubi magnos illos Cælitum Reginæ Palatinos Principes Lanfrancum & Anselmum Cantuarienses posteà Archiepiscopos educavit. Condidit etiam alterâ vice augustius & dignius Augustâ suâ idem Cœnobium Erluinus, ut Mariano cœtui magnis incrementis auctiori sufficeret, quod ipsum cum Ecclesia, non absque Numinis nutu; eo transiens Lanfrancus Archiepiscopus Deiparæ consecravit.

1079. 599. Moritur S. Leo eo nomine II. Cavæ Abbas, qui tanta cor-

dis.

Ann Chr.	S. P. N.	
		dis puritate excelluit, ut magnam illam Cælitum Imperatricem orationis tempore intueri meruerit, quâ tantâ gratiâ quãtùm devotione exarserit, faciliùs est ominari quàm explicare.
1080.	600.	Stupendâ prorsus magnaminitate Ecclesiam Matrem contra Schismaticos tuetur S. Gregorius VII. Pont. Max. Cultor Virginum Virginis planè singularis, quæ etiam in imagine sua maternum quasi ergà ipsum contestata affectum, eidem subindè arridere perquam familiariter visa est, & lachrymanti collacrymari, quem & periculosè quandoque decumbentem invisere, & per seipsam prodigiosè curare dignata est.
1081.	601.	Nova iterùm Deiparentis honori instituitur familia, eadem sub Regula S. P. N. militans, sacra Carthusiensium Congregatio, cui S. Hugo noster Gratianopolitanus Episcopus plurimùm patrocinatur, & Carthusianos montes dono dans, magnam Matrem in nova hac Sobole insigniter demeretur, cui deinceps Ordini ab iisdem montibus nomen mansit Carthusianum.
1082.	602.	Neque minùs Dominam suam hoc anno in alio item ejusdem cliente, novæ similiter deinceps familiæ Institutore S. Norberto colunt, sibique devinciunt Sigebergenses Monachi nostri, apud quos ille prima ponit sanctitatis rudimenta, & gravibus posteà tempestatibus jactatus, quietem semper solatiumque reperit, eosdem promptissimos habens sui propositi promotores.
1083.	603.	Conradus Comes Luxenburgensis hoc ipso anno urbem ipsam egregio Divæ Virginis monimento ornat, condito celebri B. M. V. Cœnobio Luxenburgensi, & illustri inductâ Marianâ nostrorum coloniâ.
1085.	605.	Cælum triumpho implet Maximus ille Romanus Pontifex S. Gregorius VII. Divinæ Matris dilectissimus & familiaris amicus, de tanta Matre meritissimus, qui alia inter sanctè instituta, ut dies Dominæ nostræ propria, singulis hebdomadibus Sabbathum scilicet, perpetuâ à carnibus abstinentiâ celebraretur,

Ann. Chr. S.P.N. electionem, tantæ Matri & Diœceseos Tutelari ad aram ejusdem effusus in preces enixissimè commendasset, ipse quamprimùm electus, quo quidem electionis suæ nuncio adeò consternatus fuit, ut exanimis illico ad terram corrueret, columen deinceps non solùm Marianæ illius Ecclesiæ, sed universæ Germaniæ futurus.

1090. 610. S. Thiemo Salisburgensis ex Abbate S. Petri Archiepiscopus claret, Divinæ Matris amator singularis, qui Cæsaribus Schismaticis invisus, cùm pro Ecclesia Dei se murum opponeret, variè exagitatus, mœrorem suum amoribus castissimis Virginum Virginis solatur, & cùm plasticem ingeniosissimè calleret, in effigiandis Cælorum Reginæ iconibus ad miraculum usque se exercens, memoranda imprimis Mariani sui cultûs monimenta passim statuit, & usque hodie intuentes universos mirè afficit, & religioso admirabilis Matris amore accendit.

1091. 611. Corporis ergastulo solvitur B. Altmannus, è Wittinensium Ducum sanguine oriundus, è Monacho Magdeburgensi Pataviensium Episcopus, qui cùm Dei Matrem eximiè coleret, celeberrimum & spectatissimum ejusdem honori ac nomini Gotvicense in Austria inferiore Cœnobium condidit, in quo & à morte conditus alter secundùm Dominam suam Tutelaris est adoptatus.

Moritur eodem anno S. Wilhelmus Hirsaugiensis Abbas de Germania universa meritissimus, Reformator Monasteriorum præcipuus, qui desperatus aliquando à medicis, Dominæ nostræ prodigiosâ ope convaluit, in cujus etiam Sacellum, cùm supremùm decumberet, deportari voluit, & sacro illic Oleo inungi, ut quàm in vita impensè coluit, in morte etiam patronam mereretur.

1092. 612. S. Ratbodus noster ex Monacho S. Salvatoris Trajectensium Pontifex, Dominæ nostræ, ut ipsa est fassa, cultor singularis, cùm superiore anno Brugas insigni Deiparæ templo excoluisset, hoc anno Tornaci quoque ejusdem honorem plurimùm promovet,

Ann Chr. | S.P.N

movet, cumque inquinaria peste Tornacenses laborarent, eos ad consolatricem afflictorum remittens, annuam supplicationem solemnem indicit.

1093. 613. Moritur S. Lanfrancus Cantuariensis è Monacho B. M. V. Beccensi Archiepiscopus, cùm Cathedralem Dominæ suæ Ecclesiam insigniter restaurasset, suâque sanctitate mirificè exornasset, cui succedit longè familiarissimus ille tantæ Reginæ Domesticus S. Anselmus.

Eodem anno celeberrimum B. M. V. Tomeriense Monasterium à Sancio Rege Aragonum conditur.

1094. 614. Ingenti merito pro Domina sua ejusque filio pugnat S. Anselmus noster, scripto doctissimo volumine: *De Incarnatione Verbi.* Quo repullulascentem Sabellianorum Hæresim felicissimè profligans, librum eundem hoc anno Urbano II. Pont. Max. approbandum mittit.

Extinguitur codē anno B. Ericius, qui familiam novā colligente pro Cœli Regina S. Joanne Gualberto nostro, primus eidem nomen dedit, tantopere dein Dominæ suæ ejusque probans Domesticis, ut Generalis deinceps Ordinis eligi mereretur.

1095. 615. Regnum æternum pro relicto temporali meretur B. Gisila Regina Ungariæ, S. Stephani Regis Uxor, quæ amoribus Deiparæ à S. Wolfgango nostro innutrita, SS. Adelberti & Gerardi præcipuorum Matris Virginis Amasiorum sacris facibus accensa, mortuó marito sanctissimo, totam se Deiparæ obsequijs in Cœnobio Pataviensi addixit, & sanctitate Augustior, quàm Regno evasit.

1096. 616. Admirabili vitæ sanctitate sæculum illustrat S. Aibertus, Crispiniensis Monachus, Virgineæ Castitatis in omni vita custos integerrimus, Virginum Virginis longè amantissimus, quàm insolenti planè cultûs genere venerari quotidie consuevit, centies per diem & quinquagies *Ave Maria* prostratus ita recitans, ut toto quidem abiecto & prono corpore Dominam suam profundissimè veneratus, illud tamen ad majorem ejusdem cruciatum, solis manuum & pedum extremis articulis sublimè retine-

Ann. Chr. | S.P.N. |

retineret, & à terris nonnihil in aëra suspensum atque elevatum. De quo suo loco ampliùs dicendum.

Eodem anno in Concilio Claromontano immortali merito B. Urbanus noster Officium B. M. V. Horis copulari jubet, pubiceque in Ecclesia recitari, quod etiam à Monachis ad Clericos transfert. Insuper Officium Sabbathi instituit, & novem Missarum præfationibus decimam addit de Cælorum Augusta: *Et te in veneratione B. M. semper Virginis collaudare &c.* Tantùm uno anno & longè plura unus hic Pontifex noster, ut quantùm huic in cælis gratiæ retulerit Domina ejusque filius, faciliùs ominari sit, quàm effari.

1098. 618. Hoc anno describitur ab Jepesio nostro principium illustrissimi Monasterij Cisterciensis, à quo deinceps maximæ illi & & Augustissimæ familiæ Marianæ nomen impositum est.

Fundatur item Monasterium B. M. V. Vrgellitanum ab Arnaldo Comite Pallarij.

Obijt S. Homobonus Congregationis B.M.V. Humiliatorum singulare ornamentum, dum in Ecclesia sacris interesset, ut erat genuflexus, sub Hymno illo partûs Virginei nuncio: Gloria in excelsis DEO &c. suaviter in Domino obdormiens, nemine ipsum exspirasse animadvertente, donec ad Evangelium in pedes non consurgere notaretur.

Moritur eodem anno S. Robertus primus Cisterciensis magnæ familiæ Author & Fundator, quem Deipara in ipso jam Matris utero adamans, velut sponsum exambivit, & ne dubitaret prægnans Roberto Mater, etiam altera vice eidem apparuit, his ipsam affata verbis: *Volo quem utero gestas filium* (aureum Augustissimâ manu proferens annulum) *hoc mihi annulo desponderi.*

1099. 619. Cælos triumphans ingreditur Cælorum Reginæ longè amantissimus Pontifex Urbanus II. postquàm gratissimam Deiparæ sacram Cisterciensium nostrorum familiam confirmasset, fovisset, promovisset. De cujus ergà Dominam nostram affectu suprà jam diximus.

Ann. Chr. | S. P. N.

Extinguitur eodem anno ven. mem. Selingerus Baro de Wolhausen Abbas Einsidlensis, qui varijs Regum atque Imperatorum expeditionibus comparatam gloriam cum omnibus mundi pompis & delitijs aspernatus, famulatum Divinæ Matris exambiens, amplissimas possessiones eidem in Cœnobio Einsidlensi obtulit, seque unà cum Conjuge & tribus filijs, velut victimas ad aram ejusdem stitit, cum omnibus illis in cucullo tantæ Dominæ emancupans, vitam illic magnâ integritate exegit, cùm domus ejusdem Paterfamilias aliquot annis optimè meruisset.

1100. 620. Clarent admirabili sanctitatis fulgore plurimi è familia Archiducis nostri BENEDICTI, magnæ Matris & Virginis castissimi Amasij cùm in Cluniacensi tum in Cisterciensi præcipuis Ordinis amplissimi familijs, tanto quidem numero, ut faciliùs æstimes ex incredibili Sanctorum utriusque Congregationis numero, quàm vel ex nomine solo recenseas, cum primævo etiamnùm ferventes fervore, de novo Deiparæ à Sanctis Præsidibus obligati ac devoti, novo quotidie cultûs genere, novis tantæ Tutelaris favoribus, exemplo quisque alteriùs mirificè accenderentur.

Moritur sub hoc ferè tempus B. Albertus noster Crispiniensis Monachus, de quo suprà, Dominæ nostræ devotissimus, quæ ipsum cælesti quandoque Electuario delicatissimè refecit, & hoc insuper dicto fervorem ejus in Divinis mirificè accendit, cùm quiritanti quod sacris aliquandiu operari non potuisset: *Omnem vitam ipsius Filio suo juge Sacrificium esse*, affirmasset. Fuit Albertus pœnitentium omnium asylum, Confessariorum Patronus, & exemplar admirandum. De quo consulendus liber noster de Cultoribus Deiparæ Benedictinis 7. Aprilis.

Nata hoc ipso anno Divinissima illa & illuminatissima Deiparæ Ancilla Sancta Hildegardis nostra. De qua uberiùs suo loco.

1101. 621. Vivit in Anglia S. Lanzo Prior S. Pancratij de Lieves, BENEDICTAE & BENEDICTI utriusque parentis sui longè amantis-

Ann. Chr. | S.P.N.

mantissimus, qui cum utriusq; solemnia magnâ soleret animi præparatione celebrare, contigit, ut solitâ sibi consuetudine & in transitu S. P. N. & in festivitate Annunciationis majorem Missam in Conventu celebraret, & octavâ à prædicti S. BENEDICTI transitûs die præventus infirmitate Octavâ die Annunciationis migraret ad Christum, cùm singulos benedicens à singulis benedici voluisset, & inter brachia in templum deportatus, illic sanctam animam efflasset.

1102. 622. Aliud iterùm Angliæ ex Ordine nostro Sydus illucescit, Remigius, ex Monacho Fiscanensi Dorcestrensis Episcopus, qui cùm Dominam suam impensiùs diligeret, omnes Episcopales reditus ad ejusdem honorem expensos voluit, cujus benedicto nomini insigne Monasterium B. M. V. de à fundamentis exstruxit, & alterum apud Bardenesi de novo restauravit. Nec satis habuit uno vel altero sui ergà eandem affectus argumento attestari, nisi totam etiam Diœcesin cum Metropolitana Ecclesia ipsi dedicaret, sede Lichenfeldium translatâ, & Cathedrali illic Basilicâ in honorem magnæ Virginis exædificata, quam cùm jam absolutam edicto Regio universis Angliæ Episcopis eò occurrentibus dedicari vellet, pridiè tanti festi tantis subtractus gaudijs, ad Dominæ suæ multò majora festa & gaudia evolavit.

1103. 623. Magnus ille Anselmus Cantuariensium Archiepiscopus, Deiparæ Palatinorum Dominæ suæ familiarissimus, honoris tantæ Virginis promotor præcipuus, sub hoc ferè tempus Immaculatam ejus Conceptionem doctissimis scriptis astruens, Cælites omnes & cultorum Virginis universitatem immortaliter demeretur, cujus etiam Festum Conceptionis auctoritate Pontificiâ toto Angliæ Regno celebrari Author est, quo quidem festo nullum sibi chariùs esse, ipsamet Cælitum Augusta fassa est, quod & proprium suum Festum aliàs appellavit.

1104. 624. Clarus habetur B. Benedictus Vallis-Ubrosanæ Congregationis lectissimus flosculus, inter primævæ fragrantiæ Mariani illius horti rosas merito suo censendus, qui quantopere Domi-

Ann. Chr. S.P.N. nam suam demeruerit, à morte ejus apparuit, cùm translato ejus corpore recentissimum & mirandæ fragrantiæ lilium in ore ejus reperiretur, haud dubiè pontentissimi apud Cæli Reginam Oratoris argumentum.

1105. 625. Cælum relicto in terris corpore sub hoc ferè tempus conscendit S. Petrus è Principe Salermitano, S. BENEDICTI propè Salernum in Cœnobio Monasticen professus, Anagniensis posteà Episcopus, Deiparentis studiosissimus, qui ipsi aliquando cum S. Magno apparuit, quam & promptissimam, cùm invocaret, habuit, rariore benevolentiæ & testatissimi favoris, in Orientalis Ecclesiæ oculis, argumento, cùm ad Michaëlem Constantinopolitanum Imp. Legatus graviter ægrotantem tantum Principem, invocato Deiparæ & S. Magni nomine, manuque imposita, summâ cum adstantium omnium admiratione & gratulatione prodigiosè curavisset.

1106. 626. Latè jam radios sanctitatis exporrigit, sedecim jam annos natus, melleus & lacteus puer, & Aulæ Marianæ Ephebulus S. Bernardus, qui sub hoc ferè tempus ob elegantiam formæ turpiter à nonnullis adamatus, insignes de carne & venere triumphos agit, cælitumque Imperatricis amores demeretur.

1107. 627. Dilectissimum illud magnæ Virgini Cœnobium, ejus honori & nomini in Dunis seu Donis struitur, per S. Ligerium Anachoritam, singularem tantæ Dominæ amicum, quod deinceps Marianis Cultoribus frequens & illustre admodum evasit.

Moritur eodem anno B. Albericus secundus Cistercij Abbas, qui cùm Beatis Roberto & Stephano peculiarissimæ illius Virginum Virginis familiæ Cisterciensis, promotor & Author extitit, & tantam Dominam specialissimam Ordinis Patronam elegit, &, ut esse annueret, impetravit, quæ spectabili formâ ipsi videndam se exhibens, his ipsis verbis animum ejus recreavit: *Ego*, inquit, *Ordinem istum usq; in finem sæculi protegam & defendam.* Eadem stupendo sanè favoris argumento, eidem, totique Fratrum cœtui sub Matutinis apparens, candidissimam

niti-

Ann. Chr. | S.P.N.

nitidissimamque cucullam, stupentis Alberici capiti imposuit, quo ipso momento (res mira!) cucullæ Monachorum omnium in choro canentium, è nigris, mox nive candidiores effectæ sunt. Porrò Albericus sæpiùs familiariter à tantâ Dominâ visitatus, cùm sub mortem Lytanias inchoaret, ad verba illa: *S. MARIA ora pro nobis.* Vultu illicò solaribus emicante radijs, Virgineam efflavit animam. 7. Cal. Febr.

1108. 628. Cluniacensium Sanctorum è frequentissimo numero, haud leviter se Dominæ cammendat piâ devotione B. Bernardus vulgò Narbonensis, Nogentini Cœnobij Prior, qui ipsam quandoque Cæli Reginam spectabili apparentem formâ intueri meruit.

1109. 629. Tristissimus terris hic annus, illustrissimorum duorum Syderum occasu, Anselmi Cantuariensis & Hugonis Cluniacensis utriusque amore Dominæ nostræ flagrantissimi, quorum ille ita scripsit de Deipara, ut nemo amantius potuisse videretur, iste tantùm apud Dominam potuit, ut moriente formâ conspicuâ adesse dignaretur, cùm jam moriturus in tantæ Tutelaris Sacellum deportari se jussisset, & super stratum illic cilicium & cineres horam extremam exspectaret.

1110. 630. Extinguitur ardentissima ac lucentissima Romanæ Ecclesiæ facula; Apostolicus per Germaniam Nuncius, & Constantiensium Episcopus beatæ mem. Gebhardus Dux Záringiæ, Monachus Hirsaugiensis, cujus electionem à Deipara procuratam superiùs meminimus.

1111. 631. Eruditorum sui sæculi miraculum, Matris Sapientiæ sapientissimus & eruditissimus discipulus B. Rupertus Tuitiensis sæculum illustrat, qui tardiori ingenio remedium orans, in Monasterio S. Laurentij Leodiensi, coram imagine ejusdem Ecclesiæ lapidea, exaudiri meretur, mirificè deinceps illustratus, qui sub hoc ipsum ferè tempus scribit præclarum illud Opus suum: de Divinis Officijs.

1112. 632. Laborat plurimùm in familia Divinæ Matris Cisterciensi propaganda, S. Stephanus Cisterciensis Abbas, cujus labores

 Domi-

Ann. Chr. S.P.N. Domina per seipsam solari dignata, cùm maximè anxiùs esset, ne tot impedimentis primævus fervor retardatus intepesceret, jucundissimo atque optatissimo promisso ipsum animavit, forè nimirùm, asseverans, ut maximis paulò post incrementis mirificè aucta & dilatata illa Congregatio in plurimas mundi partes sese effunderet, multiplicesque fructuum manipulos in horrea Domini inferret.

1113. 633. S. Bernardi è sæculo conversione memorabilis hic annus, teste Baronio, cùm ipse deinceps Dominæ suæ tot lucraretur Domesticos, ut alter planè ejus familiæ Institutor haberetur.

1114. 634. Dum moliuntur Cænobium & Deiparæ Basilicam Conradus Baro de Seldenbüren, & Adilhelmus Einsidlensis Asceta, primus posteà loci ejusdem Abbas, optimam eorundem voluntatem probare visa Angelorum Regina, & gratum habere quod molirentur, auditâ illic Cælesti sæpiùs Musicâ Angelorum, eosdem mirificè animavit, effecitque ut de loco deligendo deinceps minimè dubitaret, quem Callistus posteà secundus ab Angelorum cantu, Montem Angelorum dici voluit, etsi Dominæ nostræ esset dedicatus.

1115. 635. Coronam æternitatis meretur hoc anno Ven. Petrus Monachus, ac dein Eremita, Inclusorum nostrorum arctissimum complexus institutum, qui lapsâ è Cælo schledulâ propagandæ sacræ adversum Saracenos expeditionis Author extitit. Idem de Cælorum Augusta meritissimus, cujus coronæ, ut vocant, sive sex Decadum Rosarij usum toto terrarum Orbe deinceps fulgatissimum, ad annos ætatis Dominæ nostræ numeris accomodans, primus adinvenit, & incredibili cum fructu Orbis Christiani propagavit, cujus sacrum corpus post annos à morte centum viginti septem integrum cum barba repertum, & condigno cum honore est reconditum.

Ipso anno gratissimum illud Deiparæ domicilium Clarevallense Cœnobium coditur, quod lacteus deinceps ille Doctor Bernardus tantoperè illustravit. Sed & altera haud multò inferior dignitate domus honori Cælitum Reginæ struitur, Mo-

sterium

Ann. Chr. S.P.N. nasterium Morimundense, cujus utriusque Cœnobij præstantia hoc anno describitur ab Antonio Jepesio.

1116. 636. Inter sæculi eruditissimos haud parum exsplendescit Honorius noster Augustodunensis, egregijs ingenij præstantissimi monimentis immortalitatis, sed Augustissimæ imprimis Dominæ nostræ cultu & amore, summos honores meritus, & proculdubio æternos assequutus, quàm tantam Reginam tanquam altero Aristidis penicillo pulcherrimè juxta atque elegantissimè depinxit, atque uti Pythagoras scitè corpus nostrum rerum omnium mensuram, Vitruvius vero omnem architectandi rationem inde, tanquam ex perfectissimo naturæ opificio desumptam esse putavit, ita Honorius quoque noster, integerrimum Virginis Deiparæ corpus pari lege cum Pythagora, omnium rerum mensuram: cum Platone, miraculum miraculorum: cum Sinesio, corporeorum & incorporeorum Horizontem: ac demùm cum Lactantio, vivum Dei opificium, Augustissimumque templnm indigetavit. Qui deníque cum mirabili gratia gratiosissimam Imperatricem prolixiùs descripsisset, sui & Deiparæ Præconum minimè oblitus, ita concludit: Eia ergò Virgo tam præclara & magnifica, quidni præstes nobis, ut, qui te in hac vita beatificant, qui præconiorum laudibus extollunt, post hanc lucem in superna quoque patria, te etiam inter choros Angelorum claritudine supernæ gloriæ coruscantem, lætabundi semper conspiciant, & tibi pariter in æternum & in sæculú sæculi congratulando feliciter applaudant &c.

1117. 637. Magnis incrementis promovetur sacra & dilecta Dominæ Cisterciensis familia nostra, multis ad honorem tantæ Dominæ structis Cœnobijs solemni edito statuto, ut ea omnia deinceps Assumptioni Deiparæ sacra essent, quotquot toto Orbe Reformationis ejusdem Monasteria struerentur.

Moritur sub hoc tempus B. Sergius Amalphitanus Casinas Monachus, Cultor B. M. V. devotissimus, qui cùm ad ultima veniens vidisset eandem Dominam venientem, mox sursum eri-

Ann. Chr. S.P.N. erigens manus, *Domina mea, Domina mea*, exclamavit. Cumque à præsentibus rogaretur, utrum Deiparam intueretur? *Hic nempè est*, ait, cumque dicto exspirans Dominam secutus est suam ad æterna palatia.

1118. 638. Moritur B. Paschalis II. Pont. Maximus, sub quo cultus Dominæ nostræ mirificè est propagatus, cujus tempore sumpsit originem Congregatio Ordinis nostri lectissima, Fontis Ebraldi, Cælorum Reginæ peculiariter sacra, cui ad honorem personæ beatissimæ Matris Virginis, etsi è viris & mulieribus collectæ, quovis tamen in Monasterio non vir sed Abbatissa præesset. Iis paulò post novi Ordinis successibus, ut quinquaginta post ortum Cœnobij Ebraldini annis ad quatuor verè aut quinque millium ejus instituti Sanctimonialium numerus excreverit.

1119. 639. Claret egregiâ sanctitate Virgo Sanctimonialis B. Amadei Lausanensis Episcopi lectissima Soror, Amadei Albæ Ripæ Dominæ filia, cujus nomen à scriptoribus non memoratur, non tam sanguine quàm amore Mariano soror Amadei Germana, quæ à Cælitum Regina insigni sanè munere chyrotheca donatur, quàm petenti Germano ipsa negare non potuit, cùm vicissim illa insignes ab eo in laudem Deiparæ scriptos sermones exambiret. Servatur etiamnùm donum illud Virginum Virginis in Basilica Lausanensi, egregijs sæpè miraculis nobilitata Chyrotheca.

Moritur eodem anno S. Gelasius II. Pont. Max. Monachus Casinas, Cardinalis S. MARIAE de Cosmedin, quam ipse Ecclesiam pro singulari suo in Deiparam studio amavit plurimùm, multisque & ornamentis & reditibus auxit, Pontifex autem factus, suum ergà eandem Cælitum Reginam affectum multò illustrioribus argumentis testatus, eos qui Divam venerarentur amplissimis gratijs indulgentijsque beavit; fidelium cultum largitionibus tam gratiosis mirificè accendens. Idem S. MARIAE de Pilari primam in Orbe Deiparentis Basilicam S. P. N. discipulus jam olim creditam, insigniter extulit, pri-

mævum

Ann. Chr. | S. P. N.

mævumque ipsi decus & honorem conciliavit. Idem S. MARIAE ad Monticulum Romanum Ecclesiam dedicavit, Festumque Dedicationis solemniter celebrari die Virginis Natæ anniversariâ instituit, brevi Pontificatu magnum Virginis cultum prolixè contestatus.

1120. 640. Plurima sub hunc annum Deiparæ conduntur honori ac nomini gloriosissimo Cœnobia, Abbatia boni loci, de Elecmosyna, de Fusneio, de oratorio, de Crista, de Locedio, de Bullio. Omnia lectissimæ & dilectissimæ ejus familiæ Cistercienfi consignata, in quibus maximus deinceps cultorum Dominæ tantæ clientum adolevit.

Ipso anno celebrantur initia Mariani illius Ordinis Præmonstratensis, institutore S. Norberto, quem superiùs dixeramus Spiritum Religionis in nostro B. M. V. Sigebergensi Cœnobio hausisse, quem deinceps fovit & juvit singulariter mellifluus Doctor noster Bernardus, cujus beneficio (nisi fallor) Præmonstratum accepit, à quo loco Ordo dein universus nomen obtinuit.

1121. 641. Mortalitatem felicissimâ immortalitate permutat hoc anno S. Ermenoldus noster, primus Pruseningensis Cœnobij Abbas, magni illius Deiparæ cultoris S. Wilhelmi Hirsaugiensis discipulus, à celeberrimo illo Psalterii Mariani propagatore S. Otthone nostro ad recèns à se conditum Cœnobium Abbas postulatus, ejusdem in propagatione cultûs ejusdem & usu ferventissimus æmulus, qui dubiò procul Psalterium idem Reginoburgi proximâ urbe plurimùm promovens, verè Cœli Reginæburgam effecit, & Dominam suam ita demeruit, ut sub hymno illo Angelico partûs Virginei nuncio, uti præscierat ipse prædixeratque ipsa apparitionis Dominicæ die, feliciter moreretur.

Hoc ipso anno mellifluus Doctor noster magnæ Matri Homilias suas, super missus est Gabriel &c. dedicat, quibuscunque deinceps poterat modis tantæ Dominæ amores exambiens.

1122. 642. B. Callistus II. è Monacho Cluniacensi, Abbate Falleritano Pontifex Max. Deiparam haud leviter demeretur sacro contra hostes ejusdem Saracenos bello promoto, & Cruce signato milite, qui & sequenti anno memorabilem ex ijsdem victoriam reportavit.

Rursum plurium Cœnobiorum Dominæ nostræ honori nuncupatorum mentionem Jepesius facit, atque imprimis vallium Cernarij, cui S. Theobaldus posteà præfuit, cultor Dominæ specialissimus, quod à sacro rigore Carcer Religionis dictum est.

1123. 643. Iterùm magnum Ordinis Sydus sparsam toto Orbe familiam Dominæ nostræ Cluniacensem illuminat, S. Petrus Mauritius Abbas Cluniaci cognomento venerabilis, qui Dominam suam, Ordinis Matrem familias scriptis voluminibus plurimùm demeretur, magnoque animi sensu beneficia tantæ Matris ergà suos deprædicat oculatus, uti videtur, magnarum testis gratiarum.

1124. 644. Moritur B. Callistus II. è Monacho Cluniacensi Pont. Maximus, qui Augustæ Cælorum Imperatricis honorem plurimùm promovit, ejusdemque Sacellum Cluniaci, cùm jam Archiepiscopum ageret, ambitioso quasi famulatu tantæ Dominæ per seipsum dedicare voluit, magnoque animi sensu consecravit.

Dedicantur eodem anno non pauca magnæ Virgini Cœnobia, Lucellense, Fontis Joannis, Abbatia B. M. V. de Jojaco, aliaque & præcipuè S. MARIAE Sponheimense, in quibus insignis Domesticorum Dominæ nostræ gloria & sanctitas exsplenduit.

1125. 645. Magno favore Bernardum suum honorat Augusta Cælitum, ad ipsum graviter ægrotantem dignata invisere, suo aspectu glorioso & amabili non solùm ægrum recreare, sed & tactu affectarum ægritudine partium, morbum illico prodigiosè profligare.

Moritur eodem anno insignis Deiparæ cliens S. Joannis de Tarau-

Ann. Chr. S.P.N. Tarauca Abbas lectissimus, B. Adalbertus prædicti Bernardi Lacteus discipulus, qui familiæ Cisterciensis & Dominæ suæ honorem per Lusitaniam plurimùm promovit, & Alphonso Regi prodigiosam contra Saracenos victoriam obtinuit.

1126. 646. Iterùm nova & amplissima Reginæ Cælorum familia Originem suam S. Wilhelmo nostro Vercellensi debet, Viro Virgineo, Virginum Virginis cultori eximio, qui & Ordinem suum universum à Virgine tanta montis Virginis appellari voluit. Cujus hoc ipso anno Archisterij Ordinis Basilica in monte Virginis haud procul Neapoli solemnissimè dedicata est, & memorabili dein miraculorum gloriâ nobilitata.

Passus est hoc anno B. Conradus de Seldenbüren, spectatissimi B. M. V. in monte Angelorum Fundator & Monachus, qui suis ad honorem Dominæ suæ profusis opibus, seipsum Dominæ in cucullo emancupans, vitam denique suam cum sanguine pro eadem profudit, cùm ex obedientia, jubente B. Adilhelmo Abbate suo jura Dominæ suæ contra suum quondam subditum sacrilegum hominem tueretur. Sepultus est in Dominæ suæ Basilica, magnis deinceps prodigijs honoratus.

1127. 647. Cælis immigrat B. Conradus è Monacho Villariensi S. R. E. Cardinalis, Portuensis Episcopus: is qui Dominæ suæ DEI Genitrici in profligandis ejus hostibus Albigensibus Hæreticis strenuè collaboravit, aliaque inter benefacta gratissimum eidem Patrum Dominicanorum Ordinem, mirificè juvit, fovit, promovitque, cui tam gratæ sibi ipsi quasi exhibitæ operæ, ipsa Cælorum Imperatrix gratiam & gratias retulit, incumbenti in preces Conrado inter Angelorum frequentiam se exhibens spectabilem, eidem, tam charæ sibi familiæ res & honorem promovisse, adeoque de se optimè meruisse peramanter gratulata.

1128. 648. Decessit hoc anno felicissimâ morte beatæ mem. Bernardus, è Monacho Cluniacensi primus Archiepiscopus & Primas Hispaniæ Toletanus, magni Hugonis Abbatis Cluniacensis discipulus; Cælitum Imperatricis amantissimus, cujus Patroci-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		nio memorabiles relatas è Saracenis victorias adscripsit, ejusdemque honori immortali cum fructu ac merito celeberrimum apud Hispanos Festum *Dominæ nostræ de Pace*, dictum instituit; quo ipso etiam nomine insignem Basilicam condidit. Sepultus est in Ecclesia B.M.V. de Mezquita, quam unicæ etiam Tutelaris suæ honori consecravit, acclamantibus universis: *Cur nos Pater deseris?* insignibus à morte miraculis illustratus.
		Iterùm varia apud nostros honori & nomini Divinæ Matris monimenta erecta, efflorescente nimirùm sanctissimâ ejusdem Familia Cisterciensi, è quibus hoc ipso anno solemniter dedicantur Monasteria B. M. V. Belbecense, Regniacense, Caladiense, Walckenrodense, & alia.
1129.	649.	Mirificè Orbem demeretur B. Rupertus noster Tuitiensis Abbas, Matris Sapientiæ alumnus, & prodigiosi Magisterij discipulus, Encomiastes Deiparæ præcipuus, cujus Divina planè opera Ecclesiam DEI summoperè illustrârunt. Ipse Deiparam appellat: *DEI Patris Sponsam, Magistram Magistrorum.*
		Hoc ipso anno converso cuidam Cisterciensi extra Monasterium ex obedientia commoranti, magnam gratiam Deipara impetrat, gratiosissimumque sibi ejus esse obsequium demonstrat. Ita Manrique.
		Conduntur & solemniter dedicantur hoc unico anno Monasteria B. M. V. Ursicampense, Loci Regij, Vallis Lucensis, de Landesio, Kalocheriense, & de Boauerlea, ut ex hoc numero primævum fervorem novorum tantæ Matrisfamilias Domesticorum facilè omineris.
1130.	650.	Moritur eloquentissimus ille Virginum Virginis & meritissimus Præco B. Guerricus Abbas Igniacensis verè igneus, castis amoribus flagrantissimus, cujus scripta omnia, sancta incendia per innumera frigidissimorum etiam hominum pectora excitant. Qui alia inter sic explicat illa sacra paginæ: *Veni Electa mea, & ponam in Te Thronum meum.* In te mihi quandam Regiam Sedem constituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plùs ministravit in humili-

tate

Ann. Chr.	S. P. N.	
		tate mea, nulli abundantius volo ministrare in gloria mea. Communicasti mihi præter alia, quod homo sum, communicabo tibi quod DEUS sum. Flagitabas osculum oris, quin imò tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labijs, sed Spiritum Spiritui, osculo perpetuo & indissolubili, quia concupivi speciem tuam, etiam desiderantius, quàm tu meam, nec satis glorificatus videbor mihi donec tu glorificeris &c. Ecce ignes Igniacensis, quem nuspiam nisi ignem planè deprehendas.
		Extinguitur eodem anno B. Bartholomæus ex Episcopo Laudunensi Fusniacensis Monachus, qui Novellæ Deiparentis Præmonstratensi familiæ, ipsum Principem condendi Ordinis locum Præmonstratum dono dedit, quod ipsum nescio an Divus Bernardus, impetraverit, qui ingratis nonnullis eam gratiam à nostris acceptam objicit, quos illustri hoc Benedictini amoris monimento, æternùm cupiebat nostris obligatos, quorum beneficium ipso Præmonstratensium nomine nunquam non commendarent & celebrarent.
1131.	651.	Præclarè meretur de Ecclesia universa mellifluus Doctor noster, Schismaticorum fulmen & malleus. Sedem ante omnia Dominæ suæ honorem promovet, plurimis passim honori ejusdem erectis monimentis.
		Moritur sub hæc tempora B. Galdricus dynasta de Tuillio S. Bernardi avunculus, mox discipulus, in sinu Dominæ nostræ, Clarevallensi Cœnobio dulciter educatus, & mortuus, qui Bernardo Nepoti sanctissimo non semel à morte gloriosus apparuit.
1132.	652.	Mortalibus valedicit S. Hugo noster Gratianopolitanus Episcopus, Deiparentem insigniter demeritus, cujus noviter institutæ familiæ (uti fatebatur ipsa sibi charissimæ) initia summo studio promovit, ipse Carthusianos montes condendi Archisterij locum dono dedit, alter Ordinis sanctissimi Fundator celebrandus, cujus à donatione Ordo universus usque hodie nomen obtinuit.

Ann. Chr. S.P.N. Iterùm ingens copia conditorum nomini & honori Deiparæ Monasteriorum, quorum vel nomina solùm recensere, haud immeritò admirationi sint, plerisque prodigiosæ sanctitatis & miraculorum indicijs primùm inchoatis. Sunt autem hoc solo anno B. M. V. dedicata: Correriense, Relechense, Vall-cellense, Marisstellæ, sive Wettingense, Sanctilocense, de Fontanis, de Macerijs, Villariense, de Vallibus &c.

1133. 653. Extinguitur S. Stephanus sacræ familiæ Cisterciensis Generalis meritissimus, annum hunc notante Generalium Cisterciensium Syllabo, etsi ulteriùs ipsi vitam Manrique producat, maximis à Domina nostra favoribus honoratus, quæ & ipsum cælitus allato cingulo honoravit, & proprijs manibus, universis fratribus conspicientibus cinxit, quæ & ipsum de progressu felicissimo Reformationis, de morte etiam felici, & præmio æternitatis edocuit.

Ipso anno moritur S. Bernardus de Ubertis, ex Abbate S. R. E. Cardinalis, qui mirâ vocatione ad Ordinem vocatus, rem totam Deiparæ commendavit, ejusque sanctissimæ voluntati se totum permisit, cùm nimium ab amicis Coniugem ducere perurgeretur, mirificum deinceps sacræ Marianæ familiæ Sydus effulgens.

1134. 654. Iterùm magnus numerus conditorum in hononem Deiparæ è sola Cisterciensi familia Monasteriorum memorandus venit: B. M. V. de Signiaco, de Ponte Oltravij, de Bello Prato, de Caldea, Vallis Claræ, de Mannia, sive Maruna, Cæsareense, de loco DEI Rutinense, de Coronato, Loci Crescentis, & alia, omnia hoc unico anno consecrata, & Marianis Domesticis assignata, singula Viris sanctissimis, & Deiparæ familiaribus illustrata.

Moritur Pandulphus S. R. E. è Monacho Casinate Cardinalis, gravissimis Ecclesiæ negotijs adhibitus, quibus tamen tantis in laboribus Benedictini ergà Benedictam Matrem, studij & obsequij minimè immemor, alia inter officiosissimi cultûs argumenta, insignem de eadem Rythmum composuit.

Feli-

1135. 655. Felicissimè ex hac vita emigrat S. Matthæus S. R. E. Cardinalis, Episcopus Albanensis, Cluniacensis Monachus, ipsâ Nati Servatoris festivissimâ solemnitate cælis natus, uti præsciverat ipse, ac disertè prædixerat, quem ipsa Deipara cum Jesu filio suo supremo in lectulo invisere dignata est, quos cùm in occursum gratulabundos adventare conspexisset, alijsque jucundissimis spectaculis recreatus esset, paulò post ad præmia æternitatis sequutus est.

Moritur eodem anno Henricus Angliæ Rex conditor Cœnobij B. M. V. Radingensis, qui eo Cluniacenses Monachos, evocavit, qui præclaræ sanctitatis exemplum, ac indefessæ hospitalitatis specimen jam olim multotiens ibi præbuerunt, quod Rex ita locupletavit, ut omnium propè ad Anglos commeantium diversorium ibi esse posset. Ita Docrius.

Conditur sub hunc annum celeberrima usque hodie Deiparæ Weijerensis in finibus Franconiæ Basilica à S. Otthone nostro Pomeranorum Apostolo, magnæ Matri Virgini ex voto nuncupata, siquidem ejus Gentis Apostolatus ipsi feliciter succederet. Successit non sine magno prodigio, & prodigiorum ejus Ecclesiæ primo, quæ deinceps ibidem perennibus beneficijs usque hodie miracula continuârunt.

1137. 657. Cælum felici suo transitu exhilarat S. Hugo Antisiodorensis Episcopus, Monachus S. Germani Parisiensis, Princeps Samurensis, inter Fulcra Cisterciensis Marianæ familiæ numerandus, quod novellam illam varijs jactatam tempestatibus fovere & protegere non destitisset, eo nomine Cæli Reginam non minùs B. Conrado Cardinale, de quo suprà, demeritus.

Quo ipso anno moritur quoque S. Petrus Abbas Cavensis, magni Hugonis Cluniacensis discipulus, amoribus Deiparæ à puero innutritus, Cultûs Mariani promotor felicissimus, magnis à morte miraculis commendatus.

Eodem anno magnus ille Deiparæ Cultor, familiarissimus melliflui Doctoris S. Malachias, Hiberniæ Primas Romam occurrit, cui Romanus Pontifex de capite sublatam suo honoris causâ mitram imposuit.

S. Hu-

1138. 658. S. Hugoni nostro apud Miratorium Cæli Regina apparet, juveni etiamnum, cùm graviter tentaretur, (erat enim Novitius) Vidit autem stantem super altare, circumamictam splendore, & juxta eandem filium. Res mira! Repræsentatum eidem, qualiter ab Angelo tantæ Matri & Virgini annuntiatus, qualiter ex ipsa natus, qualiter circumcisus, captus, flagellatus, crucifixus. Vidit similiter resurgentem Dominum & ascendentem, cui hæc intuenti magna Mater: *Viriliter*, inquit, *age, & confortetur cor tuum, & certus esto, te amodò talibus tentationibus non pulsandum.* Cui dein S. Bernardus vocationem gratulatus est, cùm mira de ipso inaudisset.

Moritur eodem anno B. Gauffridus, Doctoris melliflui discipulus, alterius lactiflui Doctoris S. Fulberti Carnotensis Episcopi in Pontificatu Successor, custos diligentissimus, & hæres lactis beatissimæ M. V. quod lactatus Virgineo Ubere Fulbertus, illi Ecclesiæ pro æterno reliquit monimento.

1139. 659. Felicissimus ille Psalterij Mariani Prædicator & Restitutor S. Ottho Bambergensis Episcopus, Pomeranorum Apostolus ad supera emigrat, de cujus immortali in propagatione Psalterij merito, ita Secretarius Cælorum Reginæ B. Alanus de Rupe Monachus Dominicanus, postquam sanctissimum Patriarcham nostrum ob illud ipsum Psalterium per se ac suos toto orbe circumlatum & commendatum celebrasset: *In illa*, inquit, *exercitatus perfectusq́ Schola S. Ottho, in Ecclesiæ præsidium, ac fidei proferendæ incrementum, à DEO ad Episcopatum, adeoq́ Apostolatum evocatus, Sclaviâ totâ, cum Fide Christiana Psalterium prædicavit, quo novella plantatio ad Christum Christiq́ Matrem, precum suarum veluti debitum pensum reddere docta, consuescebat. Quibus prædicabat, orare, & sic eos orare condocebat: quos baptizabat, eos & Psalteria quaquaversum ad orandi assiduitatem capessendam circumportare jubebat. Quæ capta pia consuetudo ad omnem retrò valuit posteritatem, ut hoc ipso etiam tempore utriusq́ sexûs viri ac fœminæ, cujusq́ gradus ætatis è collo suspensa, torquis instar, gerant Psalteria &c.* Et part. 2. cap. 2. *S. Ottho*, ait, *Patris sui S. BENE-*

Ann. Chr. S.P.N. *BENEDICTI imbutus spiritu, & disciplinâ formatus, eodem in ordine sacro, Sclavorum dein Episcopus factus & Apostolus, cum Fide Christiana pariter eam per gentem plantavit quoq; Psalterium hoc &c* Ita B. Alanus.

Moritur eodem anno B. Gunfridus, Doctoris melliflui discipulus, Conditor Monasterij B. M. V. Clari-Marisci, & & ejusdem Abbas primus, Vir Virgineus, & Angelicæ conversationis.

1140. 660. Effulget insigni vitæ sanctitate B. Odo Claraevallensis Marianæ familiæ Pro-Prior, ut vocabant, Divinæ Matris amantissimus, qui quotiescunque sacris operabatur, Puerum JESUM, velut Simeon ille Evangelicus, spectabili formâ in amplexus accipere meruit, cui mirâ animi suavitate abblanditus est.

Eodem tempore, quod in cultu Deiparæ promovendo S. Bernardus per Gallias & Germaniam facit, B. Nivardus Germanns ejus frater in Hispanijs conatur, qui condito illic B. M. V. Spinensi Cœnobio, verè rosa Mariana, mirâ cælestis odoris fragrantia Hispanorum animos percellit, & in odorem fragrantiæ ascendentis per deserta Dominæ suæ allicit.

Ipso anno Manriquius refert Monacho cuidam delicatulo, cùm omnes in Triclinio fratres Deipara Electuario quodam recreasset, negatam eam gratiam, quod gulam in suis Clientibus Domina nostra maximè aspernetur.

Monasterium B. M. V. de Fitero in Hispanijs conditur, de quo Jepesius.

1141. 661. Sacræ familiæ nostræ Cisterciensi se adjungit celeberrimum illud Montis Salutis Monasterium, ubi colitur frequentissimo fidelium concursu Effigies B. M. V. miraculis clarissima.

Claret egregia vitæ sanctitate B. Petrus sacræ familiæ nostræ Vallumbrosanæ Monachus, qui Monasterium B. M. V. moliens dum manè semper disjectos lapides cerneret pridiè constructos, Deiparam pro signo rogans suæ voluntatis, & circuiens tabulam reperit, aureis inscriptam litteris Ave Maria, ibique struxit.

1142. 662. Moritur B. Petrus, primus Morerolæ Abbas, Prophetiæ dono illustris, Mariani amoris Magister singularis, sub quo floret eodem in Monasterio Petrus vulgò Dei-vocatus, Dei Genitrici devotissimus, quem ipsa Capellanum suum appellavit. De hoc liber exordij Cist. habet: Missam de Virgine nullus cantare poterat, nisi quidam Sacrista loci illius, Petrus Dei nomine, quod ideò meruerat, quia dum adhuc viveret, quoties vacabat Missam de Deipara cantabat, ob quod ab ipsa in Capellanum suum susceptus fuerat. Ita liber cit. de visione quadam in qua plurimi ejusdem Conventûs à quadraginta annis mortui sese repræsentabant.

Vitâ excedit hoc ipso anno Virgineus ille noster novæ familiæ Marianæ Conditor S. Wilhelmus, quàm ipse Montis Virginis appellavit, adeò purè Virgineus, ut nec flamma in ipso quod adureret reperiret, cùm à projectæ frontis venere tentatus, ut concumberet, paraturum se prius lectulum dicens, prunis ardentibus in modum strati compositis, duasq; in partes discriminatis, in altera illæsus ipse incubuit, ad alteram, quæ tentaverat, ut concumberet invitavit, Deiparæ dein familiæ accensam, & seriâ pœnitudine scelera eluentem.

Ipso anno S. Bernardus Spiræ Hymno solemni, *Salve Regina*, ultima tria verba subjungit: *O Clemens &c.* Deiparâ illum resalutante: *Salve Bernarde.*

Eodem anno Monasterium S. Mariae de monte Rami conditur, aliaque plurima Cisterciensium nostrorum exstruuntur.

1143. 663. Claret insigni vitæ sanctitate devotissimus beatissimæ Virginis B. Gerardus germanus frater B. Bernardi Abbatis, qui cùm diutiùs sæculi laqueis irretitus, mancipatum Deiparæ in sacra ejus Cisterciensi familia amplecti recusaret, captus ab hostibus & carceri mancipatus, Bernardi & fratrum in felici illa servitute libertatem cum singultu recogitans, & illi per litteras se commendans, nocte hanc vocem audijt: *Liberaberis.* Sequenti mox die veram expertus, pessulo ostij & compedibus prodigiosis-

Ann. Chr. | S.P.N.

giosissimè solutis, qui proin Deiparæ sese jam sponte emancupans, in libertatem filiorum ejusdem adscriptus, post vitam sanctè exactam, *in cantando mortuus est*, ut inquit Bernardus morienti adstans, *& moriendo cantans*, quem idem dignus Excomiastes, *non tantùm in maximis, sed & in minimis maximum fuisse attestatur.* Nec minor felicitas alteriùs ejusdem Germani Andreæ fuit, qui Cœnobij Claræвallensis Janitor fuit, Januæ Cæli Dominæ solicitè advigilans tanti à Filio Virginis factus, ut Janitorem hunc verè nobilem, etiam illustrem & illustrissimum miraculis redderet.

In Monasterio Trappa præsenti Deiparæ Monachus quidam sua peccata confitetur, ipsâmet juvante & dictante, quæ nunquam anteà confessus fuerat.

1144. 664. Trium Fontium in Gallia Cœnobium Dominæ nostræ dicatum splendoribus sanctitatis implet B. Rogerius, primus ejusdem Abbas, melliflui Doctoris discipulus, magnorum Deiparæ favorum oculatus testis, qui novellum illic magnæ Matrifamilias, vitæ exemplo mirificè accendit, cultumque Dominæ suæ propagat.

Iterùm alia Mariani amoris spectatissima à nostris monimenta eriguntur; celeberrimum illud B. M. V. Hortense Cœnobium, & S. M. de Vallbuena.

1145. 665. Eligitur Pont. Max. B. Eugenius III. ex Abbate S. Anastasij in urbe, miro omnium consensu, cùm tamen Cardinalis non esset, Deiparæ amantissimus, qui illustri argumento suum ergà eandem affectum testaturus, diversas Deiparæ familias sacras demereri & promoveri studuit, & ornandam Divæ MARIAE majoris Basilicam suscepit.

B. Humbelina Doctoris melliflui Soror, sacræ Cisterciensis familiæ, in sexu fœmineo antesignana & Archiducissa Cæli Reginam immortaliter demeretur, altera sui sæculi Scholastica, innumerabili dein sacrarum Virginum numero, Virginum Virgini sese emancupare gestientium, quarum plurimæ deinceps admirandos Deiparæ favores meruêre.

T 2 Bernar-

1146. 666. Bernardus ab Eugenio III. omnium Patrum Concilij Carnotensis consensu totius belli contra Saracenos Mariani Dux & Princeps militiæ deligitur, qui mox Crucem prædicans, Sacerdotali Tubâ Christianos omnes verbo & scriptis excitat, *sequentibus signis* miraculis innumeris planè & admirandis, Regibus Germaniæ & Galliæ, populis Italiæ, Angliæ, Ungariæ, nomina dantibus.

Illustrissimum hoc ipso anno Cœnobium S. MARIAE de Vervela conditur.

Gallæciæ infert mella Mariana B. Vitalis Doctoris Lactei discipulus, qui dedicato illic Dominæ suæ honori ac nomini Meyrensi Cœnobio, insignem eidem familiam aggregat.

1147. 667. Regnum æternum pro temporali meretur felicissimæ memoriæ Ericus Daniæ Rex, qui cùm Cæli Reginam impensius veneraretur, suique amoris æternum vellet extare monimentum, nobile B. MARIAE de Tyona Cœnobium exstruxit, & insigni demissionis exemplo tantæ se Dominæ servulum in eodem emancupans, purpuram cucullo mutavit, hoc tandem anno post egregia humilitatis exempla ad gloriam & Reginæ Cæli gaudia evocatus.

Effulget egregiâ vitæ sanctitate B. Bœmundus S. Bernardi discipulus, qui magno merito primus Deiparæ familiam Cisterciensem apud Hispanos propagat, primus Monasterij de Tarauca Abbas designatus.

Claret eodem tempore in Anglia B. Richardus, qui magnæ Matris Virginis honori Fontanense exstruens Cœnobium, in eodem sese tantæ Dominæ devovens, sanctitatis opinione celeber migravit ad Dominum.

1148. 668. Potentissimum illud in Portugalia Monasterium Alcobaziæ conditur, Regalis omninò Abbatia, ab Alphonso Rege Lusitaniæ, Deiparæ Virgini ejusque sacræ familiæ ex voto constructa, siquidem cæsis hostibus victor reverteretur.

Eodem anno aliud spectatissimum in Belgio Deiparæ monimentum erigitur, Camberonense Marianum Asceterium, longè

Ann. Chr. | S.P.N. longè illustrissimum, fundatore Anselmo ex inclyta Trafeguienfium Herouum familia, quod fe inhabitare Cæli Regina posteà evidentissimis signis demonstravit, in imagine quadam maximis illustratâ miraculis, & usque hodie magno concursu fidelium celebratâ.

Supremus idem annus S. Malachiæ nostro fuit, Hiberniæ Primati, Archipræsuli Ardinacensi, qui singularem Dominæ nostræ amorem multis modis emeruit, familiâ præcipuè ejusdem Cisterciensi summo studio defensâ atque promotâ: quem Doctor mellifluus ob admirandas ex ipso elucentes gratias tantùm non adoravit, cujus mortui corpori, cùm manum aridam idem Bernardus applicaret, in oculis omnium sanissimam retraxit.

1149. 669. S. Bernardus stupendis & innumeris passim patratis miraculis Germaniam peragrat, utens Deiparæ interpositione nominis, ad conversionem peccatorum. Quem cùm Cantico: *Salve Regina* delectari summopere Clerus Spirensis intellexisset, ad Cathedralem Basilicam B. M. V. invitavit, eoque ingrediente elevatâ voce hoc carmen ad laudem Deiparæ decantavit, quo ipse totus effervescens cantico tam dilecto & ipse elatâ voce, ter positis genibus, hæc subjecit atque subtexuit: O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA. In cujus rei memoriam eadem verba tribus æreis incisa laminis, ijsdem locis ubi genua posuit, usque hodie leguntur.

E servis & clientibus Reginæ Cælorum singulari gratiâ emicat B. Guillelmus è potentissimo & illustrissimo Montis-Pessulani Dynasta humillimus Monachus; Virgini Matri longè addictissimus, & ob hoc ipsum perinsigni post mortem miraculo honoratus. Cùm enim litterarum prorsum ignarus latinè nihil, nisi sola hæc verba: Ave MARIA, calleret, eademque jugiter magno animi sensu volueret, ac repeteret, ex mortui & jam tumulo conditi ore pulcherrimum enascens lilium se prodidit, quod litteris aureis ac planè cælestibus undique decoratum hæc ipsissima verba: Ave MARIA, summa cum omnium ad-

um ad-

Ann Chr. | S.P.N. um admiratione, mirificè in folijs expressa retulit ac repræsentavit, universos sacræ illius familiæ Ascetas mirificè recreans, & ad tantæ Tutelaris studia accendens.

1150. 670. Hispanias illustrat B. Didacus, ex veterano milite factus Deiparæ in sacra eius Cisterciensi familia Domesticus, qui cùm scelestissimos Dominæ suæ hostes Saracenos acerrimè odisset, atque execraretur, B. Raymundo Abbati suo præcipuus author fuit, ut novum Divinæ Matris auspicijs Ordinem de Calatrava institueret, in cujus erectione Didacus strenuam Dominæ suæ operam navavit.

Sub hoc idem tempus insigne magnæ Matris honori Cœnobium B. M. V. de Cantavos exstruit B. Rudolphus ejusdem loci primus Abbas, & illustrem illic tantæ Matrisfamilias domesticorum cætum congregat, quibus admirandæ sanctitatis facem suo exemplo præfert.

Sed & aliud Virginum Virgini Monasterium Novæ Vallis in Succia molitur & absolvit B. Gerardus Divi Bernardi familiaris, qui Dominæ illic suæ cultum strenuè propagat, & frigidissimas terras calore Mariano animat.

1151. 671. Divina Hildegardis nostra prophetiæ Spiritu illuminatissima, Ecclesiam universam mirificè ornat, quam ob idipsum Eugenius Papa & summi Principes venerantur, eadem Deiparæ singularis cultrix, & honoris ejusdem Promotrix, velut ex libris ejusdem fit manifestum.

Beatus Christianus admirando vitæ rigore cælis se probat, Dominæ nostræ in Monasterio de Eleemosyna emancupatus. Hic cùm ipsam eximiè diligeret, ab ipsa vicissim singulariter dilectus, familiari tantæ Reginæ alloquio uti & frui meruit, magnis gratijs & Divinis revelationibus illustratus.

Conditur eodem anno B. M. V. Bellmontis Monasterium. De quo hoc anno noster Jepesius.

1152. 672. Stiriam Germaniæ provinciam illustrat ven. Sophia Belæ Ungarorum Regis filia, Conradi Imp. filio Henrico desponsa, quæ sponso immaturè prærepto, in Monasterio B. M. V.

Ad-

Ann. Chr. | S.P.N. Admontensi sacris adjuncta Virginibus, cum inde à fratre Rege evocaretur, & ancilla Dominæ esse quàm Regina præeligeret, Legatos Regios cum ornamentis Regijs aspernata, nec intueri quidem consentiens, jussa deniquè à Superiore se sistere, vim metuens limen quidem januæ Cœnobij insistere annuit, cæterùm nisi morte, ut dicebat, obitâ nequaquàm transitura, ita Dominam suam, cui emancupari gestiebat audientibus & stupentibus Legatis compellans: *En*, ait, *Sancta MARIA, Domina mea, Patrona mea, Mater Domini mei IESV Christi, Sponsi mei, salvâ gratiâ tuâ & pace, te Duce, te Comite, limina tua transeo, te adjuvante, te protegente cito reversura: tibi commendo causam meam Virgo Virginum.* Ita attonitos reliquit, & à se remisit, clauso super se ostio, solemne illud hilariter occinens: *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi &c.* Succinentibus largas inter è gaudio lacrymas Virginibus Marianis, & Reginam nunc ancillam tam illustrem prosequentibus.

Conditur celeberrimum illud Virginum Virginis Parthenæum Schönaugiense, cujus initia suâ ornat & sacrat sanctitate, S. Elisabeth Schönaugiensis prophetico Spiritu illustrissima, Reginæ devotissima Prophetarum.

1153. 673. Magnus ille & lactifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus moritur, Deiparentis unicè dilectus, totus lacteus, totus Virginei coagulum lactis, diversis vicibus Virgineis admirabilis Matris lactatus uberibus, quàm & muta in imagine eloquentissima salutantem resalutavit; *Salve Bernarde.* Ipse verò Dominam suam mirificè coluit, celebravit, extulit, alia inter suavissimo illo Hymno: *Ave Maris Stella*, composito ipsam honorans totâ etiamnum Ecclesiâ voce & scriptis Bernardi honoratam; de solo Deiparæ nomine Maria sic scribens: *Sicut Christus*, ait, *quinq; vulneribus suis contulit plenè remedia mundo, sic MARIA suo sanctissimo nomine, quod quinq; constat litteris, confert quotidie peccatoribus veniam in hoc mundo &c.* Sed Bernardi ut amorem nemo, sic neque merita satis quisquam descripserit.

Quo ipso anno Eugenius quoq; Papa decessit, de quo jam suprà dictum satis est.

In

An n. Chr. | S.V.N. In Cosetanis ad Populetum Hispaniæ celeberrimum illud & Regale Monasterium S. MARIAE de Poplete conditur.

1154. 674. Sanctissimum illud Belgij & verè illustrissimum B. M. V. Cœnobium Villariense, egregiâ vitæ sanctitate fundat B. Laurentius, melliflui Doctoris discipulus, primus ejusdem Abbas familiæ Marianæ conditor, quæ non minùs Belgium, quàm Gallias Claravallis clarum reddidit, ex qua deinceps præcipua Cæli Mariani Sydera exsplenduêre, & vero usque hodie exsplendescunt.

Conditur & aliud illustre Virginum Virgini in Portugallia monimentum, Monasterium B. MARIAE de Salzeda. De quo consulendus Antonius noster Jepes. tom. 7.

1155. 675. Effulget inter Cardines Orbis S. R. E. Cardinales fulgore auri B. Martinus, Cisterciensis Monachus, suo ergà Deiparam studio tantus, ut de ipso exclamare non dubitaret Doctor mellifluus; *O si Domini mei Sponsam* (totam Ecclesiam) *cernerem tantæ commissam fidei, tantæ creditam puritati.* Ut jam facilè cætera æstimes, quantùm hoc fuerit Domûs Marianæ decus & ornamentum, Ecclesiæ firmamentum.

Anno eodem moritur B. Tuscelinus senex admodum, Monachus Claravallis, ad cujus felicem transitum ipsa occurrit cum Angelis Regina Angelorum.

1156. 676. Moritur B. Theobaldus cognomento Pius, potentissimus olim Campaniæ Princeps, Matris Divinæ studiosissimus, qui cùm non unum vel alterum ejusdem honori, sed plurima templa ac Monasteria construxisset, nihil fecisse ratus, nisi & seipsum offerret, domesticis tandem ejus in Claravalle accensus, dies noctesque in ejus servitio pervigil extitit, & mortis suæ præscius, hoc anno decessit, miraculorum gloriâ commendatus.

Claruit sub hunc ipsum annum B. Rainaldus ex Asceta S. Amandi Claravallensis factus, qui Deiparam una cum SS. Magdalena & Elisabeth intueri meruit, ad fratres invisere, & separatim aliam ab alia, nunc hos nunc illos in Conventu convenire, sed & in agro ac messe occupatorum sudorem tergere.

Extin-

Ann. Chr. | S.P.N. Extinguitur eodem anno S. Wilhelmus potentissimus quondam Aquitaniæ Dux, è ferocissimo Leone agniculus mansuetissimus, opera S. Bernardi conversus, de Ecclesia ut olim pessimè, sic deinceps optimè meritus, qui novam honori Cælorum Reginæ familiam condidit, ab ipso dein S. Gulhelmi appellatam.

1157. 677. Lambertum an Marianum dicam, ignominem quidem, absque tamen nomine nominatissimum ab ipso Deiparæ cultu, S. Lamberti in Carinthia tunc, hodie Stiriâ, celeberrimi & exemptissimi Monasterij Ascetam, qui cùm affectu totus in sinum Deiparæ difflueret, suæ cellulæ thesaurum unicum Virginum Virginis cum Filio effigiem Austriæ intulit, & jussu Abbatis Cœnobij possessiones illic curare jussus Cellam condidit, quàm à potiore denominans, Dominâ suâ, Cellam MARIAE dixit, & verè esse meruit, beatiorem Austriam Cellulâ illâ reddens, quàm omni tam diuturno Archiducum & Cæsarum incolatu. Et quidem religiosissimorum Cæsarum ultroniâ confessione, qui usque hodie tanquam ad Oraculum Delphicum recurrunt, toties miraculo servati. Cellam illam, Augustis Palatijs augustiorem Adrianus Papa hoc anno auctoritate Apostolicâ firmavit, incertum quamdiu familiarissimo illo Deiparæ Domestico superstite, cujus ipsa pietatem remunerata, Cellam deinceps nunquam deservit, imò plus quàm Benedictinâ hospitalitate, in omnes hospites prodigiosè benefica, magnificentiam suam grandibus miraculis, etiam mortuorum resuscitatione, Omnipotentis se Matrem, & Austriæ Augustam, in ea sua Residentia ostendit & comprobavit.

Ad sinum misericordiæ Matris evolat eodem anno amantissimus ejusdem cliens B. Theodardus noster, Caræ-Silvæ Monachus, silentij & orationis studiosissimus, in his omne studiũ & solatium ponens, quem in obitu suá præsentiâ dignata Cælorum Regina, Filium quoque suum, & juxta illum ad Crucem commendatum Joannem dilectum Domini adduxit, quorum contuitu plenus jam triumphi Theodardus ad triumphos

Ann. Chr. | S.P.N.

æternos pergens, sonorâ voce occinens: *Subvenite Sancti DEI, occurrite Angeli Domini &c.* sanctam efflavit animam.

Quo ipso anno, ipsâ parientis Virginis sacrâ die Cælo nascitur S. Petrus noster cognomento venerabilis, amplissimæ Congregationis B. M. V. Cluniacensis Archi-Abbas, Hæresum potentissimus Triumphator, de cujus ergà Dominam devotione jam satis dictum est.

1158. 678. Belgium universum illustrat Franco Abbas Affligemiensis, non minùs sanctitatis quàm eruditionis laude celeber, cujus tumulum magna in veneratione Affligemienses habent, viri, ut MS.[ta] loquuntur, *Scientiæ mirabilis, castitatis integerrimæ, & gravitatis honestissimæ.* Ejus insignia monimenta ad æternitatem durantia sunt, Basilica celeberrima ab ipso structa, Liber unus de Gratia DEI, alter de statu futuræ gloriæ, tertius de beatissima Matre & Virgine, cujus ipse Encomiasten ferventissimum egit, & posteritatem universam ejus amore succensam voluit.

Ad æternitatis vocatus præmia B. Melior conversus S. Congregationis nostræ Vallumbrosanæ, Deiparæ dilectus, cujus invocato nomine sæpiùs de inferis mirè triumphat. Repertus à morte oranti similis, manibus in Cælum elevatis, campanis sponte consonantibus donec sepeliretur.

1159. 679. Moritur meritissimus de Genitrice DEI B. Stephanus Obazinæ sanctissimus Abbas, juratissimus sui corporis hostis, multis cùm in vita tum post mortem miraculis illustris, qui solus præter suum quod Deiparæ sumptibus fidelium construxit Cœnobium, quinque similiter alia ejusdem magnæ Matris honori ædificavit.

Decessit eodem anno S. Robertus Novi Monasterij, (sic enim appellabatur) in Anglia Abbas, quod ipse ad honorem Dominæ nostræ condidit, qui cùm Novellæ familiæ Marianæ fructibus delectatus, quotquot congregasset inscribi in libro vitæ, inter calentissimas lacrymas instantius orasset, voce Cælo delapsâ, exauditum se intellexit, omnesque inscriptos esse,

præter

Ann. Chr.	S. P. N.	

præter duos, qui corda perpetuò terrenis affixissent, paulò post scelere suo proditos, cum cucullo abjecto Cœnobium desererent.

Sed ante omnes illustrem hunc annum suo è terris in Cælos triumphali ingressu reddit, S. Joannes Meda noster, novæ familiæ & Ordinis Mariani Fundator, eorum quos nomine Humiliatorum censeri & esse voluit, qui minimè ignorans, quanti referret Omnipotentis Matrem benè cœptorum Promotricem & Patronam exorare, exoravit, & meruit, conditoq; Coxiū juxta fluvium Ordinis Archisterio Rondonariensi, illud, totumque Ordiné Nomini tantæ Matris dicavit. Ipse ob egregias virtutes & miraculorum gloriam Sanctorum albo solemniter adscriptus.

Quo ipso anno B. Ottho Frisingensis Episcopus, Austriæ Marchio, Henrici IV. Imp. ex Agnete filia nepos, Henrici V. Sororius, Conradi Regis frater Uterinus, Friderici I. Barbarossæ Patruus, Monachus Morimundensis, pridem mundo mortuus, mortalitatem carnis exuit. Suo in Deiparam amore verè illustrissimus, cujus honori plurima Cænobia condidit & dotavit, & recenti familiæ Marianæ S. Norberti ope & consilio adfuit.

Intuetur Deiparam B. Guatelinus etiamnum Novitius, in Anglia, rogantem: Utrùm sibi servire velit? O felix servitus! viditque mox tantam Dominam, S. P. BENEDICTO pelvim ministrante, Religiosorum pedes lavare, & S. P. BENEDICTUM linteo præcinctum quasi sublevare.

1160. 680. Felicissimo exitu vitam terminat S. Methildis nostra, Comitissa Andecensis, Friderici I. Imperatoris cognata, Virgo lectissima; Abbatissa Oetelstettensis, quæ nunquam ridere, nisi in morte visa est. Morituræ supremo illo in conflictu Deipara adfuit, quam salutans: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum*, in verbis: *Benedicta Tu &c.* defecit & risit. Cumque ei sorores ob oculos ponerent beatissimæ Virginis imaginem, hanc manu submovens, ad longè digniorem, ipsam-

Ann. Chr. | S.P.N.

met quam salutaverat, oculos felicissimos reflexit. Sacro autem inuncta Oleo, *jam cum Angelis victura* (rarissimâ sanè gratiâ) *manibus communicavit Angelicis*, maximis à morte miraculis illustrata, cujus vel soli in aëra sublati capilli, tempestates & fulmine prodigiosè avertere comprobantur.

Moritur hoc ipso anno B. Wallenus, Abbas Meilrosensis, mirè edoctus de morte, cùm Angelus involucrum Converso cuidam porrigeret, dicens, à DEO & Deipara Walleno directum, quod hic lacrymis infusus, genuflexus legit, hoc tenore: JESUS Christus & MARIA Mater ejus, dilectum suum Wallenum salutant: Scias quod exaudita est Oratio tua, & inter duas festivitates Joannis Baptista venies ad nos perpetuò victurus, præpara te. Vale. Ita rei eventus probavit, & Vir sanctus 3. Aug. ex hac vita migravit.

1161. 681. Moritur B. Raynerus sive Rainerius, Monachus Villariensis, à puero DEI Genitrici dilectus, quem scholas jam tunc frequentantem, casu quodam in aquas prolapsum, jamjam mergendum inter amantissima suscipiens brachia extraxit & liberavit. Is dein Monachum professus, eandem sæpissimè intueri meruit, quæ audiente quandoque illo & intuente, Christum Filium pro Raynero suo his verbis interpellavit: *Ecce mi Fili dilecte, Monachum istum, diligentissimum famulum nostrum, timentem DEUM, qui suo servitio & lacrymis peroptimè lavit & purgavit peccata sua: ideoq; rogo, ut post hanc temporalem vitam, possit sine aliqua pæna purgatorij huc venire, & possidere vitam æternam.* Annuit illicò Matri dilectæ Filius, respondit-que: *Quoniam non me decet tibi aliquid denegare, quidquid petieris, volo.* Fuit & illustribus à DEO miraculis commendatus, & in supremo lectulo suaviter occinens: *Laudem dicite DEO &c.* Monitus ut taceret: *DEUM meum*, inquit, *& Dominnm video, cum magno desiderio, cum Sanctis suis, qui lætanter exspectant adventum meum.* Deniquè à beatissima Virgine & S. Joanne Baptista visitatus, paulò post animam Creatori reddidit, funus ejus Angelis cælesti Musicâ honorantibus.

Crea-

1162. 682. Creatur Archiepiscopus S. Thomas noster, ex Cancellario Regni Anglici, & invitus admodum in Cathedram Cantuariensem evehitur, id ante omnia agendum ratus, Monachus ut esset, priusquam munus Archiepiscopi aggrederetur, quod, qui Monachi non fuissent, pessimè luisse cognovisset. Eum DEI Mater jam à puero dilexit, ad quem jam tunc dignata invisere, atque amantissimè alloqui, regio planè & inæstimabili munere dilectulum beavit, donatâ ipsi pixide pereleganti, in qua purpurei coloris casula claudebatur, Sacerdotij scilicet, & illustrissimi Martyrij insigne, quæ proculdubio dono Virginis illi jam tunc destinabantur, & nunc signabantur.

Profitetur Monachum hoc ipso anno in Monasterio Alcobaziæ B. Petrus, Alphonsi I. Portugalliæ Regis frater, bello clarissimus, Virginum Virginis obsequio deditissimus, cujus cùm effigiem contemplaretur, vel Angelicam salutationem pronunciaret, rarissimo ardentissimi amoris exemplo, felicissimus Princeps, fervoris nimiâ vehementiâ à sensibus abstractus in extasim rapiebatur. Fuit rigidissimus sui corporis tortor, à Luxuriæ nihilominùs Spiritu graviter pulsatus, cui exorata Cælitum Imperatrix, formâ humanis oculis conspicua adesse dignata est, & à cliente suo tentationes avertere.

Moritur B. Raynaldus Monachus Claræ vallensis, cui Cælorum Regina vestimenta candida & pretiosa apparare visa est, ad quam ille: Eia Domina mea desideratissima, quando habiturus sum ista? Cui illa: quando venies ad me, tunc recipies ea. Is posteà morbo correptus, salutationem Angelicam sibi cæteroquin frequentem, incessanter ore & corde voluens, extremum cum eadem halitum exsufflavit.

1163. 683. Moritur celeberrimi illius Cisterciensis Cœnobij Abbas, Marianæ familiæ Generalis B. Fastredus, cùm in negotijs Ordinis Romæ ageret, ab ipso summo Pontifice sacro Oleo inunctus, præsente Ludovico Galliarum Rege, & tota ferè Romanæ Curiæ frequentiâ universis velut patrem charissimum deplorantibus. Fuit is Deiparæ gratissimus & charissimus, quæ,

Ann. Chr. | S.P.N.

quod ad magnos quæreretur honores anxium & profugum per semetipsā solari dignata, in magna ipsi apparens gloria, Cælorū Regem, velut Seni illi Evangelico in ulnas credidit: *Accipe*, inquit, *Filium meum, & serva mihi illum.* Cumque dicto disparuit, ut facilè deinceps acquiesceret, & familiæ tantæ Matris curam susciperet, cùm in tam dulcis pueri contuitu & credito, signata utique membra ejus intelligeret.

Extinguitur eodem anno S. Jossio de Cælo & Augustissima ejus Imperatrice meritissimus, S. Bertini Monachus, qui Dominam suam novo Mariani nominis cultu adinvento quotidie veneratus, quinque scilicet Psalmorum recitatione, quorum initiales litteræ nomen MARIA exprimebant, singulis singulas præmittens Salutationes Angelicas, magnum tantæ Matris amorem promeruit, à morte illustrissimo sanè prodigio honoratus. Quippè ex emortui capite, quinque, eæque purpureæ rosæ exortæ sunt, in quarum prima aureis scriptum litteris ac mirabiliter effictum nomen MARIAE apparuit. Una ex ore, duæ ex oculis, totidem ex auribus effloruêre, quo insigni miraculo, simulque rosei Jossionis exemplo, usus deinceps ille orationis invaluit, summo Cælitum plausu à plurimis Deiparæ cultoribus usque hodie usurpatus.

Tertius hoc ipso quoque anno è lectioribus Dominæ servis, B. Wallenus Meylrosensis Abbas carnis carcere solvitur, qui à morte suorum alicui apparens, eam se gratiam per suffragia Divinæ Matris impetrasse affirmavit: ut nemo ex ijs omnibus, quos ipse suo in Cœnobio collegerat, periret, sed universi salvarentur; quod & insigni prædictione, ne quis dubitaret, confirmavit, ipso deinceps eventu confirmatâ.

1164. 684. Iterùm novæ sub nomine beatissimæ Matris Virginis Conditor familiæ sese prodit, B. Joannes Cirita, Lusitanus Monachus, Vir sanctissimus, qui instituto Ordine Equitum S.M.V. de Avis, de Ecclesia & Regnis Hispaniarum immortaliter meruit, perque hunc Saracenos Dominæ suæ hostes etiam à morte triumphavit, Vir insigni miraculorum gloriâ illustris, qui tot

præ-

Ann. Chr. | S.P.N.

præscius triumphorum, hoc ipso anno lætissimum illud Canticum Te Deum laudamus, jamjam moriturus hilariter occinens, eo finito placidè in Domino obdormivit, cujus sanctitatem etiam à morte miracula confirmârunt.

Vitâ sub hunc annum defungitur B. Waltherus frater conversus Monasterij Meilrosensis, Deiparam intueri meritus ad Cœnobium invisentem & scripto hacce intuentis & plurium aliorum nomine in libro vitæ imminentem felicem exitum præsignante & nunciante.

Quo ipso anno alter quoque celeberrimi illius B. M. V. de Calatrava Fundator Ordinis, B. Raymundus Abbas S. M. de Fitero obijt, Patriæ liberatoris titulum meritus, & ipse magnis prodigijs illustratus, quæ inter perpetuum illud: quod quacunque imminente tempestate pulsatis campanis, quarum funes sepulchrum Viri sancti pertingunt, subitò, & magno quidem miraculo, serenitas aëris expedita redire comprobetur.

1165. 685. Ad Thronum gloriæ Dominæ suæ æternùm victura evolat S. Elisabetha nostra Schönaugiensis Monialis, sui sæculi cùm ob eruditionem, tum sanctitatem miraculum habita, magnisque miraculis à Numine illustrata, & Prophetiæ dono insignis, quàm Regina Prophetarum sui amantissimam impensius dilexit, & spectabili formâ ipsi apparuit, adducto secum, ut ipsi videbatur Elisabethæ S. P. N. Benedicto, & alio quodam Cælite, quem ipsa non agnoscebat, tota nimirùm in eam suis defixa oculis, quam tota dilectione concupierat, & intueri merebatur.

Excessit similiter vitâ B. Godefridus Lingoniensis Episcopus, S. Bernardi cognatus & discipulus, cogente hoc ipso Episcopatum suscipere coactus, qui eidem Abbati suo in expugnandis Deiparæ hostibus Hæreticis, strenuè collaboravit.

1166. 686. Cælum petit solutus corpore B. Ælredus Rienallensis Abbas, magnâ sanctitate conspicuus, sed à præcipuo suo ergà mundi Dominam cultu ipse quoque venerandus, cujus ipse honorem pro virili promotum voluit, & alia inter devotissima obse-

Ann. Chr. | S.P.N.

obsequia librum de Virginitate ejusdem præstantissimum composuit, adeò Bernardo similis, ut lac quoque idem suxisse videatur. Unde Gibbonus:

-- -- -- -- Legi monimenta duorum
Lactea, nec potui dicere: scripsit uter.
Fovit utrumque reor, Mellita MARIA clientem,
Mel de Virgineo suxit uterque sinu.

Ad hunc eundem annum refertur mirum illud insolentis planè Officij & familiaritatis argumentum, quo S. Thomam nostrũ Cantuariensem digno Monachis opere manuum occupatum, ipsa Cælorum Imperatrix juvare non est dedignata, cùm clanculo cilicium, quod ad nudam gestabat carnem, resarcienti adfuit, & ut commodius resarciendo pergeret, beneficâ manu cilicium tenuit, & laborem ejus promovit. Quod ipsamet posteà fecit publicum, suamque cum Thoma suo familiaritatem prodidit, etsi non sine verecundâ Virginis Viri erubescentiâ.

1167. 687. Memorabili planè exemplo Cultor Deiparæ eximius, & familiæ Marianæ in sacra ejus domo de Armentera Paterfamilias, S. Ero Abbas, Virgineæ puritatis studio Dominæ suæ amorem singularem meritus, cùm post Dominæ præstita servitia Matutinas & Laudes, ex more ad vicinum nemus secederet, quietius contemplationi vacaturus, feliciter à cælestis vocalitatis & elegantiæ volucrè ad interiora deserti deductus, tantâ contemplationis dulcedine abreptus est, ut illic absque cibo & potu ducentos omninò annos prodigiosissimè exigeret: quem suo tempore post bina reducem ad suum Monasterium sæcula, suo loco redhibebimus, nunc non tam cum Magdalena, quàm Cæli Principe Maria, optimam partem eligentem, sedentem ad pedes Domini, imò ad latus Dominæ suæ, & quiescentem.

Iterùm memorandus S. Thomas noster Cantuariensium Pontifex, ipsâ familiaritate Matris Sapientiæ. Virginum Virginis, eruditissimum, quæ recolentem quotidie magno animi

sensu

Ann. Chr. | S.P.N. sensu ejus septem gaudia Annunciationem scilicet, Visitationem, Christi ex ea Nativitatem, Magorum adorationem, inventionem Filij, Resurrectionem, & Ascensionem: sese ipsi videndam obtulit, cum his dictis: *Gratum omninò*, inquit, *mi Thoma obsequium tuum est: Sed quid tantùm meministi eorum gaudiorum, quibus afficiebar in terris? recole etiam ea imposterùm, quibus nunc fruor in cælis, namq; omnem, tam hæc, quàm illa honorantem, in hora exitûs solabor, exhilarabo, Filioq; meo dilectissimo sistam. Mirè exultans ad hæc Thomas: & quanam*, inquit, *ratione, O Domina mea suavissima hoc præstare possim, cùm quænam ea sint penitus ignorem? Septenâ*, subintulit Virgo, *salutatione etiam hæc gaudia honorabis. Sunt porrò talia.*

I. *Gaudeo, quia secundùm SS. Trinitatem, suprà rem omnem purè creatam primos honores obtineo.*

II. *Quia intemeratæ Virginitatis aureolâ, omnes Angelorum ac Sanctorum Ordines longè antecello.*

III. *Quia ingens lumen gloriæ meæ, ad instar solis, Curiam Cæli illustrat universam.*

IV. *Quia omnes Cæli indigenæ me ut Deiparam venerantur, & colunt.*

V. *Quia à Filio meo nacta sum facultatem quidlibet impetrandi.*

VI. *Quia olim in terris mihi immensa fuit collata gratia, meisq; clientibus jam in Cælo ingens gloria à Filio præparata est.*

VII. *Quia gloria mea novis surget incrementis ad diem usq; extremum, & inde perennabit in omnem æternitatem.*

Hæc Rythmis posteà complexus est S. Thomas, qui in certis Ecclesijs loco sequentiarum decantantur:

Gaude flore Virginali, &c.

1168. | 688. Claret in Saxonia eximijs sanctioris vitæ splendoribus B. Alardus Monachus B. M.V. de Lucka, Equestibus quondã ludis exercitatissimus Dynasta, humillimus posteà Deiparæ famulus, quæ obsequium ejus piè remunerata, spectabili formâ ipsi apparere dignata, fidelem suum ipsa ad triumphos æternos evo-

X care,

Ann Chr. | S.P.N. — care & conducere voluit. Supremùm enim decumbens cùm ad agonem ejus Domino commendandum universi Monachi concurrerent: *Modò ite*, ait, *Domini mei dilectissimi, & dicite Missas vestras, quia Salvator mundi, & gloriosa ejus Genitrix, cum Angelis & multitudine Sanctorum illuc venturi sunt, post revertimini cum eis, quia animam meam suscipient.* Mira res! Illis sacra facientibus disertè æger, & qui, & quas ad aras, & circumstantias alias, quibuscum sacris operabantur ministrantibus edixit, & universis demùm revertentibus, in hæc erumpens: *Ecce Christus cum Matre & Sanctis suis præsens est, jamq; suscipient animam meam, nec mihi credatis, si in instanti mortuus non fuero.* Cumque his ipsis evolavit sanctissima ejus anima, mira illicò cælestis odoris fragrantiâ è sacro ejus corpusculo erumpente, cujus anteà fœtorem atque horrorem, vermibus de ejus corpore, perpetuò quasi scaturientibus, nemo ferre poterat.

Conditur eodem anno insigne Dominæ nostræ monimentum Claromarisci Cœnobium, fundatore Joanne Theodorico cognomento Alsatio.

1169. 689. Effulget inter altissimos Rhætiæ montes Cælo proximus, cælestibus radijs B. Algotus Curiensis Episcopus, mellifluí Doctoris quondam discipulus, Mariani amoris & obsequij æmulus, qui Deiparæ cultum apud Rhætos strenuè promovit, unus plurima Cœnobia & templa, Curiense Cathedrale, & Cazense, & Schennense Virginum Monialium restauravit, sed & Mariæ Montanum in Comitatu Tirolensi multis modis demeruit, ut alter quasi eorundem Fundator habeatur, tantis unus monimentis Cælum & Cæli Reginam veneratus.

Ab Anonymo sancto sene Claræ vallensi cernitur Deiparæ Capitulo præsidere, quæ & huic & alteri cuidam Seni pacis osculum impressit, & filium ad amplexus obtulit, reliquis dein fratribus ad hos senes pro pace occurrentibus. Ex monim. Cl. Vall. & Hist. Cist.

1170. 690. Occumbit gloriosissimè hoc anno, dilectissimus ille & familiarissimus Cæli Reginæ Domesticus S. Thomas Cantuariensis

Ann. Chr. S.P.N. sis Archiepiscopus, maximis dein prodigijs à Numine honoratus.

Moritur hoc anno S. Godricus noster, Monachus Dunelmensis & Eremita, qui Dominam nostram summis honoribus coluit, ab ea vicissim peculiarius adamatus, cujus & Crucifixi imaginem cùm ad parietes cellulæ utrinque suspensas haberet, res mira! ex ore aliquando Crucifixi puerulum speciosissimum prodire conspexit, qui ad gremium Matris properans, totas tres horas, in sinu atque amplexibus imaginis Deiparæ prodigiosè adblandientis, motæ mirabiliter ac moventis, conquievit, tum verò denuò ad Crucifixum & in os ejus redijt, motu illo Deiparæ ipsis etiam cellulæ trabibus concussis & trementibus, quin & ruinam minantibus. Nec minor ille magnæ Virginis favor, quo Godricum dignata est, ad quem illa cum dilecta Filij sui Magdalena invisens: *Nunquid me*, inquit, *Godrice agnoscis?* Quo dicente: *Domina, hoc nemo potest, nisi cui tu volueris relevare. Verè*, respondit illa, *dixisti, quia Mater Christi sum, & per me ipsius gratiam obtinebis, ista autem est Apostolorum Apostola, Maria Magdalene.* Supplex dein Godricus, cùm se ipsi commendaret, tam ipsa quàm Magdalena capiti ejus manus imponentes, bono animo esse jusserunt, præcinuitque Deipara dilecto suo insigne hoc Canticum, ipsumque his verbis edocuit: *Sancta MARIA Christi Thalamus, Virginalis puritas, Matris flos, dele mea crimina, regna in me, duc me ad felicitatem cum solo DEO.* Hoc ipsum Canticum certissimum ipsi tentationis & tædij fore lenimentum promittens, cumque dictis disparuit, admirandâ cælestis odoris fragrantiâ post se relictâ.

Sub hoc ipsum tempus Deipara præsidere in Capitulo Claravallensi à fratre quodam videtur, & item à sancto quodam Sene cernitur Filium suum Monachis osculandum offerre.

1171. 691. Moritur magnus ille Ecclesiæ pugil, decus Marianæ Cisterciensis familiæ, S. Petrus Tarentasiensis Archiepiscopus, *quem solum vel propè solum ex Metropolitanis palam restitisse sui temporis*

Ann. Chr. | S.P.N. | *Schismaticis*, Haræus affirmat, à Cæsare nihilominùs devotis Officijs cultum & honoratum.

1172. 692. Novella Deiparæ familia Humiliatorum nostrorum mirificè exsplendescit, magnumque fructum in Ecclesia, perditissimo Schismatis tempore, operatur, in tanta rei Christianæ turbatione plurimis etiam è Proceribus ad humilitatis Magistram confugientibus, & sub potenti Domina, ut in æternum exaltarentur, spontè humiliatis.

1173. 693. Belgium egregiâ sanctitate illustrat B. Godefridus de Colonia, Monachus primùm S. Panthaleonis Coloniæ, Villariensis dein in Brabantia, Angelis non solùm, sed Angelorum Reginæ mortali etiamnum in corpore familiaris, cujus jucundissimâ præsentiâ non semel recreatus fuit. Quam cùm aliquando Chorum intrantem cantu fratrum delectari vidisset, exeuntem tanquam minister Dominam prosequens, hoc solatij ab ipsa meruit: *Revertere ad Fratres tuos*, inquit, *nec sequaris amplius me, quia citò ex toto me sequeris, recepturus tui laboris Præmium.* Quam & paulò post ut æternùm frueretur assequutus est, cujus dein sacrum Corpus *Domino divinitùs præcipiente*, inter Sanctorum Reliquias collocatum est.

1174. 694. Demertur hoc anno Angliæ Regnum gravissimo merito S. Thomas noster Cantuariensis Archiepiscopus, jam cum Domina sua in cælis triumphans, cùm jam in interitum præcipitanti provinciæ exoratus adest, parricidâ Rege eam sibi culpam imputante, & ad sepulchrum Thomæ pedibus nudis procedente, atque à singulis Monachorum disciplinam, ut vocant, per flagella suscipiente, memorabili illicò rerum mutatione, juratissimo Regni hoste Scotorum Rege intercepto, & tam eis, quàm transmarinis in potestatem humiliati redeuntibus.

1175. 695. Memorabili sanctitate familiam Dominæ nostræ Cisterciensem in Claræ vallensi Virginis Domicilio gubernat B. Gerardus Abbas, qui primus omnium candori vestium purpuram junxit, effectus tantæ Congregationis Proto-Martyr, eò insuper felicior, quòd Dominæ suæ obsequio immortuus, cùm in refor-

for-

An n. Chr. | S. P. N. reformanda ejus familia occupatus, à scelerato Monacho, quem tanquam dedecus Domesticorum Deiparæ repræhenderat, parricidiali manu interemptus esset.

1176. 696. Vixit sub hæc tempora S. Laurentius noster Dublinensis Episcopus, principe familiâ natus, illustrior tamen, quia devotior DEI Genitricis servus, & ab ipsa imprimis Domina amatus & honoratus, à quo, non alio Episcopo suam dedicari Ecclesiam voluit. Cùm enim ob causas suæ Ecclesiæ Romam profectus esset, iisque confectis in Angliam reverteretur, Deipara cuidam solitario (verbis vitæ scriptoris referimus) qui se in Virginale templum, à quodam divite erectum abdiderat, noctu se ostendit, quærens: cur novum suum Domicilium tamdiu maneret indedicatum? Ad hæc ille ait: proprium Episcopum jam diu abesse. Ego verò, respondit Deipara, templum meum ab isto dedicari nolo. En Laurentium Dublinensem, cujus ego præstolabar adventum, consecret ipse templum meum, neque enim in Hiberniam redituro prosper ventus afflabit, priusquam meæ obsequutus sit voluntati. Anachoreta igitur templi Fudatori visionem exponit; ille visionem Laurentio apperit, ipse tale ministerium inconsulto Diœcesano recusat quantùm potest, tamen Deiparæ sequutus voluntatem ac DEI, quæ humanâ superior est, beatissimæ Matris Basilicam magnâ ceremoniâ consecrat. Ex eo tempore templum illud multis miraculis inclaruit. Claruit Vir sanctus multis miraculis, & cùm gravissimum Britanniæ bellum consopiisset, DEO & Tutelari suæ DEI Matri se commendans felicissimè obiit.

1177. 697. Rursum illustre admodum Cælorum Reginæ in terris monimentum erigitur, Monasterium B. M. V. Cirencestriense, fundatum à Bartholomæo Oxoniensi Episcopo, quod insigniter dotavit & locupletavit Henricus II. Angliæ Rex.

Claruisse sub hoc tempus videtur B. Guntelinus Anglus juvenis mundi delicijs deditissimus, mirâ visione à S. P. N. ad DEIparam adductus, tanquam Novitius, & in sacram familiam Cisterciensem assumptus, quam vidit tunc pedes totius Con-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		gregationis lavantem, eosdem detergente S. P. N. BENEDICTO.
1178.	698.	Albigensium invalescente Hæresi Deiparæ cumprimis inimicâ, quam ipsa è Cælis impetere visa est, strenuè se tantæ Matris & Reginæ pugiles exercent, eosque inter hoc anno Henricus Clara-Vallis Abbas, & Almaricus noster Silvanectensis Episcopus.
1179.	699.	Celeberrimus sanctitate fulget S. Eschillus, Vir Apostolicus, ex Archiepiscopo Lundensi, Daniæ ac Sueciæ Primate, humillimus Monachus, Deiparæ longè addictissimus, cujus ope in tantum virum evasit, cùm puer etiamnum desperatus à Medicis, raptus spiritu, visusque sibi ad supplicium abduci, misericordiæ Matris opem imploraret, quæ abnuenti similis, exorata dinique, exprobravit tamen quod anteà minùs sibi devotus extitisset. Emendationem spondentem, serenissimo statim vultu intuita, in clientelam recepit, & quinque pro satisfactione modios imperavit, quos Religiosus posteà quidam quinque Cœnobia interpretatus est, ab ipso deinceps jussu Tutelaris & Servatricis suæ exstruenda.
1180.	700.	Moritur B. Hugo Bonæ-Vallis Abbas, is ipse quem superiùs dixeramus ab ipsamet Deipara retentum, quo minùs Cœnobio egrederetur, cùm gravi pulsatus tentatione ipsam in altari conspiceret, & mox ab Angelo salutatam, Christum Virginali utero edentem, & alia Mysteria, mirabiliter repræsentata contueretur. Cultor dein Dominæ singularis, cujus proculdubiò tantus evasit, ut maximis Ecclesiæ negotijs à DEO ipso electus adhiberetur, plurimis etiam à morte miraculis illustratus.
1181.	701.	Divinissima illa Hildegardis nostra, Prophetiæ spiritu illustrissima, Reginæ Prophetarum devotissima, deque eâdem meritissima, mortalitatem hoc anno exuit, lugente eam Germaniâ & Ecclesiâ universâ, eò quòd ad ipsam tanquam ad Oraculum pro consilio, summi Orbis Principes recurrerent, Viri sanctissimi ipsam venerarentur, quin & Romani Pontifices

scriptis

Ann. Chr. S.P.N. ſcriptis litteris eum frequentius viſitarent, & Romanam ejus orationibus Eccleſiam commendarent. Quo ipſo anno etiam S. Eſchillus, de quo ſuprà obijt.

1182. 702. Sub hoc ferè tempus Alphonſus Rex Portugalliæ noſtris ſub vexillo B. M. V. militantibus Caſtrum Aviſienſe dono dat, undè deinceps Ordo ipſe cognominatus eſt, & illuſtres ſæpiùs è Saracenis hoſtibus victorias retulit.

Moritur S. Guicardus, Dominæ noſtræ in Cœnobio olim Pontiniaci ſervum ſe devovens, ejus poſteà familiæ Rector & Abbas conſtitutus, qui Archiepiſcopus poſteà Lugdunenſis creatus, Imperatrici Cælorum Verbo, ſcriptis & exemplo ſtrenuò militans, contra hoſtes ejúſdem Albigenſes rem fortiter agens, laureolam Marianam meruit.

Hoc eodem anno, ut Æthna mons felicioribus deinceps exardeſceret ignibus, Margarita Siciliæ Regina illuſtriſſimum noſtris Cœnobium in declivi montis ejúſdem condit, & beatiſſimæ Virginis nomini ac honori conſecrat, B. M. V. Maniacenſe cognominatum.

1183. 703. Iterùm nova è noſtris gloria, condito novo Archiepiſcopatu, cùm Guilhelmus è Monacho Cavenſi S. MARIAE Novæ in monte Regali creatus Abbas, petente, Guilhelmo Bono Siciliæ Rege, primus ejuſdem loci Archiepiſcopus à Lucio III. ſummo Pontifice renunciaretur, & familia Monachorum Mariana Cathedralis & Metropolitana decerneretur.

1184. 704. Immortalibus jungitur Ven. Henricus Lubecenſis, ex Abbate S. Ægidij Brunſuicenſi, Epiſcopus, Virginum Virginis & familiariſſimi ejúſdem Joannis Evangeliſtæ amantiſſimus, atque obſervantiſſimus, cujus ſui amoris immortale monimentum extitit, Cœnobium S. Joannis honori ac nomini conditum, ubi & corpus ſuum terræ mandari, tanquam Dominæ per dilectum commendandus, imperavit. Nec minùs argumentum ſuæ in utrumque pietatis, Homilia elegantiſſima ſuper verbis: *Stabat juxta Crucem Mater IESV &c.* quæ, inquit Trithemius noſter, *qualis fuerit in cæteris ſuis, ſatis de-*

mon-

Ann. Chr. | S.P.N. *monstrat, quàm sensu profundus, quàm excultus eloquio, sed præstabat*, addit, *omnibus sincera in viro devotio.*

Claravallensis magnæ Matris dilectior diligentiorque familia admirabili studio, industriâ & contentione in extinguenda Albigensium hæresi laborat.

1185. 705. Ad Regnum æternum è terreno & caduco emigrat gloriosissimæ memoriæ Rex Alphonsus Lusitanus, eo nomine non solùm, sed Regum Lusitaniæ primus, in ipsa purpura verè Monachus, præliator præliorum Domini fortissimus, Virginum Virgini longè addictissimus, cujus & dilectissimam familiam Cisterciensem, immortali cum merito, incomparabili Regni fructu, fovit amantissimè & promovit, mellifluo Doctori nostro commendatissimus, qui & ipsi titulum Regium ab Innocentio II. Pontifice Maximo impetravit. Deiparæ hostium Saracenorum fulmen ac malleus, prodigiosissimas sæpiùs victorias consequutus, quidquid à bellis otij erat, Divinis studijs struendisque Cœnobijs & Basilicis impendebat, quorum numerus (miranda res!) ad centum quinquaginta fertur pervenisse, quæ omnia cùm Cælitum Reginæ honorem maximâ ex parte concernerent, ejusque nomini sacra essent, vix quisquam uspiam tam illustri Psalterij tam illustrium centum quinquaginta Monimentorum numero videtur Dominam nostram honorasse ac demeruisse. Cujus sanctitatem eximijs miraculis oraculisque Numen comprobavit.

1186. 706. Felicissimè vitâ defungitur & magnis laboribus S. Petrus cognomento Monoculus, è Regibus Galliæ oriundus, Igniacensis Monachus, verè igneus, familiæ demùm Marianæ in Claravallæ Præfectus, Dominæ suæ devotissimus, quæ in terris etiamnum agentem non semel invisere dignata, magnis favoribus beavit, quam tectâ nonnihil Augustiore formâ cum duabus alijs Virginibus in agro cum Fratribus laboranti occurrentem, custos Virginitatis integerrimus, minùs agnoscens, sic affatus est: *Certè multùm audaces estis, quæ sic inter nos venistis.* Cui Domina: *Ego*, inquiens, *benè debeo venire inter meos;*

Ego

Ann. Chr. S.P.N. *Ego enim sum Mater Domini nostri IESV Christi MARIA, quæ venio visitare messores meos, & ista est Maria Magdalena, & ista est Maria Ægyptiaca.* Procidit supplex in genua Abbas, & illa disparuit. Visa eadem aliquando canes nigerrimos ipsum infestantes depellere, ipsumque dulci non solùm alloquio, sed & sacris manibus demulcendo recreare. Sed & illud memorandum, cùm Spiram pro negotijs delatus, in Basilica Deiparæ negligentijs in itinere commissis veniam oraret, Cælitum Reginam adstitisse, & eamdem quæ de more & consuetudine Ordinis est, orationem pro Petro suo recitasse, ipsum absolvisse. Ad Paradisũ æternæ Beatitatis transfertur hoc anno & transplantatur insignis omninò rosa B. Josbertus, B. Jossionis si non frater germanus carne, spiritu tamen, virtute, professione, gratiâ, & ergà Divinam Matrem consimili omninò devotione, solùm loco diversus, hic Dolensi, alter Bertiniano in Cœnobio Monachos professi, Coluit & iste Deiparam quinque Psalmorum, quorum initiales litteræ nomen MARIA exprimunt, usu quotidiano, singulisque Antiphonæ loco *Ave MARIA &c.* subdidit, cum versu: *Post partum Virgo &c.* & Oratione: *Concede nos famulos tuos &c.* Remunerata & hunc pia Virgo haud multò aliter quam Jossionem, à morte nimirùm ejus quinque è capite rosis erumpentibus, ex ore nimirùm unâ, duabus ex oculis, totidem ex auribus, quarum singulæ primùm cujusque Psalmi versum aureis inscriptum litteris præsevere-bant. Nec sine testibus tantum miraculum fuit, evocato ad id Henrico de Soliaco, Patriarchâ & Archiepiscopo Bituricensium, qui cum Clero & Monachis idipsum contuitus & admiratus, rosam quæ ex ore erumpebat, suâ manu tulit, quâ facile subsequente, cæteræ quæ in oculis remanserant & auribus, protinus emarcuerunt, illa tamen quàm Episcopus ex ore decerpserat suâ in viriditate & pulchritudine remansit.

1187 707. Moritur Gregorius hoc nomine VIII. Pont. Max. qui ab Hadriano Cœnobio extractus, purpuratisque Patribus accensus, pro meritis denique Pastor universalis Ecclesiæ delectus est,

Ann. Chr. | S.P.N. qui vix adito Pontificatu nil potiùs habuit, quàm juratos Deiparæ hostes Saracenos reprimere, & Hierosolymam recuperare, cujus rei gratiâ quinquennale jejunium instituit, & ut feria IV. VI. & Sabbatho à carnibus universi fideles abstinerent indixit, multisque alijs piè institutis pace per totam Europam compositâ in pace requievit.

1188. 708. Claret B. Beatrix Monasterij B. M. V. de Oliva propè Marimontium sanctissima Monialis, ex gravissima peccatrice facta exemplar absolutissimum pænitentiæ, quæ cùm Cœnobij sui, sacræ nimirùm supellectilis custos esset, & impensiùs Deiparam coleret, carnis tentatione victa, destinato jam Apostasiæ ob libidinem scelere, ad Dominæ suæ, prius quàm discederet, altare accedens, his Tutelarem suam verbis alloquuta est: *Domina quantò devotiùs potui, servivi tibi: Ecce claves tuas tibi resigno, tentationes carnis diutiùs sustinere non valeo.* Ita positis in ara clavibus abijt, quindecim totos annos in cæno libidinis se proluit; donec fortè reversa, ut incognita, quid de Beatrice quondam Custode Cœnobij actum sciscitata, vivere etiamnum & sanctam esse, diligique ab omnibus intelligeret. Jamque digredi paratam, etsi verba notaret, Deipara ipsa eâ qua in altari specie apparens admonet gradum sistere, his affata verbis: *Ego per 15. annos absentiæ tuæ Officium supplevi: revertere nunc in locum, & pænitentiam age, quia nullus hominum novit excessum tuum.* Ut de pænitente Beatrice non dubites, gratissimam perpetuò extitisse, quæ tanto dignata est tempore suas vices agere, & ut vocare ad pænitentiam, sic & Filio reconciliare, imò gratam tantopere facere, ut miraculorum etiam gratiâ illustraretur.

1189. 709. Ad feliciorem vitam emigrat B. Joannes Abbas Montis Virginis, & ejusdem lectissimæ Marianæ familiæ Generalis, qui inter prima & præcipua novellæ illius Congregationis germina dignissimus visus est, qui Dominæ suæ dilectissimorum clientum rationibus præficeretur. Ejus in Deiparam devotissimi cultûs, spectatissima, quàm condidit ejus honori, Basilica

extat

Ann. Chr. S.P.N. extat monimentum: maximâ ſolemnitate, præſentibus Beneventano & Salernitano Archiepiſcopis, & 14. alijs Epiſcopis dedicata, probante Joannis ſui conatus ipſâ Cælorum Auguſtâ, & verè Majeſtatis ſuæ eam domum Regiam eſſe grandibus deinceps prodigiis, & in peregrinos beneficijs conteſtante.

Ipſo anno SS. Albo ſolemni ritu adſcribitur magnus ille Dominæ noſtræ cultor, & Pſalterij Mariani Propagator, S. Otto Epiſcopus Bambergenſis, Pomeranorum Apoſtolus, à Clemente III. ut vocant, Canonizatus.

1190. 710. Eligitur novus Marianæ Ciſtercienſis familiæ Præſes B. Guido eo nomine II. qui devotè requirens de ſtatu Ordinis, per ipſam Cæli Auguſtam de Cælo reſponſum accepit. Idem Officium B. M. V. quod eo uſque ſinguli privatâ ſolùm devotione recitabant, in Infirmitorio primùm ſimul ab omnibus pſallendo dici voluit, ac dein ut in Choro recitaretur inſtituit.

Moritur eodem anno S. Gilbertus noſter de Sempingham; qui cùm Dominam noſtram ferventiſſimè diligeret, ut ingenioſus eſt amor, exquiſitiſſimo invento eam colendi modo, Novæ illius de qua ſuperiùs, familiæ Marianæ Inſtitutor fuit, ab Authore deinceps Gilbertinæ cognominatæ, qua majori ex parte Virgines aggregans, has potiore præ viris loco ob honorem Reginæ Cælorum eſſe voluit, cæteros Joannis more Dominæ ſolùm in ſacris miſterijs celebrandis quaſi inſervire. Deceſſit centenarius ferè, cùm ſolus ipſe mille quingentas Virgines, Monachos ſeptingentos illo ſub inſtituto collegiſſet.

1191. 711. Iterùm alius novam Dominæ familiam inſtruit, ipſamque immortaliter demeretur B. Joachim Coratij, Congregationis Florenſis digniſſimus inſtitutor, prophetico ſpiritu illuſtris, & tantus quem nulla ſatis poſteritas miretur & veneretur.

1192. 712. Miraculorum Patrator mirificus Gallias illuſtrat B. Silvanus noſter, cujus facies ſole clarior, & veſtimenta ut nix candida atque lucentia apparebant, dum ſacram communionem acciperet. Vir non minùs à Deipara dilectus, quàm ipſam diligens, etſi amantiſſimus tantæ Tutelaris, quæ ob continuas

Ann. Chr. | S.P.N. vigilias & orationes quandoque ægrotanti sereniſſimo vultu apparuit, ſacriſque manibus debilia tangens membra, ejuſdem reciprocos quaſi favores his dictis exambijt: *Redi in te fili mi.* (videtur propè examinatus fuiſſe doloribus; an ſacro quodam horrore) *& gratificare novis operibus meritorijs, favorem hunc tibi exhibeo.*

1193. 173. Supremus hic annus B. Balduino Devonio Archiepiſcopo Cantuarienſi ex Fordenſi Abbate, qui cùm eruditione non minùs quàm ſanctitate excelleret, ſuam ergà DEI Genitricem dilectionem multis argumentis prodidit, aliaque inter præclariſſimi ingenij monimenta, librum inſignem de Annunciatione ejuſdem, ſed & alium de Virginitate ſcripſit, quo Dominæ ſuæ, non verbo ſolùm dum viveret, ſed etiam ſcriptis deinceps innumeros per Virginitatis ſtudium jungeret & lucraretur.

Moritur eodem anno S. Amatus noſter Nuſcenſis Epiſcopus, è primis Marianæ Montis Virginis familiæ domeſticus celeberrimus, Ordinis illius & Matrisfamilias æternum decus, qui ad Fundatorem S. Wilhelmum recurrens, tantæ familiæ nomen dare inhiantiſſimè exambijt, & Dominam tantam, ſuorum bonorum ex aſſe hæredem ſcripſit. Idem Deiparæ honori bina Cœnobia condidit, ejuſque cultum ſummo ſtudio promovit, admirandâ miraculorum gloriâ illuſtratus, verè Deiparæ amatus, & eo nomine, jubente Angelo in utero Matris nominatus.

1195. 715. Mortalibus valedicit B. Daniel Abbas B. M. V. Camberonenſis, diſcipulus quondam magni & melliflui Bernardi, qui ipſum peculiariſſimo huic Virginis domicilio Abbatem deſtinavit, qui lectiſſimam illic Dominæ ſuæ familiam aggregans, locum mirâ ſanctitate verè illuſtrem reddidit, illuſtriſſimus ipſe, cujus digiti nocte inſtar candelarum ardere & collucere viſi ſunt. Cui Cælorum Regina faviſſe cumprimis videtur, totaque Camberonam immigraſſe, cùm uſque hodie idem Cœnobium ob frequentiam miraculorum & peregrinantium inter ſpectatiſſimas Auguſtæ Cælorum in terris Reſidentias numeretur jure ſuo & celebretur.

Admi-

1196. 716. Admirandis splendoribus sanctitatis refulget S. Ranaldus Frontis Avellanæ Monachus, posteà Niverinus Episcopus, Cælitibus & Cælorum Reginæ familiarissimus; hâc & illis illum sæpiùs visitantibus. Electus publico decreto perpetuus Nucerinæ Civitatis à morte Protector.

1197. 717. Iterùm novo merito eoque maximo nova Cælorum Reginæ sub Ordine & Regula nostra familia instituitur; dignâ Consolatricis afflictorum appellatione, Ordo nimirùm B. M. V. de Redemptione Captivorum; maximo etiam potentum numero huic Congregationi nomen dantium; seque ipsos cum omni substantia sua Dominæ tantæ consecrantium pro captivis exponentium.

1198. 718. Sanctissimi illius & celeberrimi Patrum Dominicanorum Ordinis initia celebrantur; familiæ Deiparenti longè gratissimæ, deque Domina tanta meritissimæ; quæ tamen post DEUM Institutorem suum nostro S. Dominico debet Evliensi Abbati, cujus precibus sterilis Mater filium impetravit; & ab eo, cujus gratia acceperat, Dominicum dici voluit; apud nostros etiam primùm litteris & sanctitate institutum. Sed qualiter Cæli Regina ipsa nostrorum in eo servando & promovendo Ordine operam agnoverit, & commendaverit; suo loco dicendum.

Creatur Pontifex Maximus Innocentius noster eo nomine Tertius, qui nihil prius habuit, vix adito honore, quàm honorem Dominæ suæ contra Albigenses defendere, & contra eosdem sacram militiam cogere; ipsa Cælorum Reginâ conatus ejus juvante & conspicuâ formâ è Cælis contra eosdem fulminante & depugnante. Idem etiam Pontifex non contentus armis hostes Marianos debellare, æterno merito, sequuturis etiam sæculis providet, & contra Albigenses primùm, dein nasc ituras ubicunque Hæreses sacrum Inquisitionis hæreticæ pravitatis Munus primùm instituit, & familiariter dilecto Deiparæ domestico, imò domesticorum Præsidi B. Petro Fontis frigidi Abbati demandat.

1199. 719. Moritur admirandæ sanctitatis Vir Bertholdus Abbas Garstensis, miraculorum gratiâ illustrissimus, qui ob egregia ergà Deiparam studia & obsequia, Sacellanus B. M. V. vulgò est appellatus.

Cistercienses Clarævallenses Mariani, insignem Romanæ Ecclesiæ in convincendis cùm verbo tum exemplo, atque insuper miraculorum virtute, Albigensibus, navant operam. B. Guido Cistertij Abbas, corrigendis Biblijs ab Innocentio III. præficitur, idem qui hoc ipso tempore Cursum, ut vocant, sive Officium B. M. V. tanquam amplissimæ Cisterciensium Congregationis Generalis, toto Orbe per dispersa diversis provincijs Monasteria propagavit, consequentibus hæc exempla etiam Clericis, qui jam privatim quisque recitabant, consuetudine paulatim in Choro evalescente.

1200. 720. Feliciter requiescit in Domino B. Balduinus Blandiniensis Monachus, Deiparæ charissimus, quæ quanti ipsum faceret, haud levi benevolentiæ signo ostendit, cùm usque tertio, ab ipso impensius peteret, ut gloriosissimo suo nomini Cœnobium exædificaret. *Coadjutricem & Cooperatricem in omnibus se ipsi forè promittens.* Struxit proin tantæ Matris honori Bodeloense Cœnobium, mirâ Dominæ nostræ ope, *cum operarijs, quantascunque tam in victualibus quàm in pretijs expensas exponeret, semper ante diei occasum persoluta essent.*

Valedicit eodem anno mortalibus B. Henricus Borbonius, dictus de Soliaco, Archiepiscopus Bituricensis, Carlilocensis Abbas, grandis illius, de quo suprà, miraculi in S. Josberto Dolensi Monacho spectator, cùm quinque ex ejus capite exortæ rosæ, cælesti inscriptæ charactere cultum ejusdem & obsequium Deiparæ impensum prodigiosissimè commendassent, quarum Henricus eam, quæ ex ore se prodebat, decerpens, cæteris emarcescentibus, suâ in viriditate & decore remanentem, manu retinere meritus, multò majore deinceps quàm alias magnæ Virginis amore exarsit, aliaque inter merita, quibus Dominam demeruit, ut Festum Assumptionis ejusdem solemni-

Ann. Chr. S.P.N. lemniter instar Pentecostes celebraretur, instituit, & tantæ Reginæ honorem pro virili passim promovit.

Hoc ipso anno cùm Innotentius III. Pont. Max. exactiones graves exemptissimæ cæteroquin Cisterciensi nostræ familiæ imponeret, B. Guido Cistercij Abbas ad beatissimam Virginem appellans, prodigiosè juvatur.

1201. 721. Moritur hoc anno meritissimus ille de Domina nostra Abbas B. Joachim, Prophetiæ dono illustrissimus, Florensis Marianæ Congregationis, Institutor, admirandis relictis præstantissimi ingenij monimentis.

Vivit sub hæc tempora acceptissimus ille Cælorum Reginæ Clientulus, B. Petrus Villariensis conversus, quem sui amantissimum familiari illa dignatur alloquio, de Festo Conceptionis suæ solemniùs celebrando admonuit, quod ille ignorans, magnâ animi præparatione & devotione deinceps celebravit, miris eâ ipsâ die semper consolationibus & revelationibus recreatus. Sed ante omnia memorabile illud, cùm aliquando templum ingressus, & in excessu mentis factus, à Christo Domino devotionis ergà Matrem Virginem admonitus, & quasi collaudatus, eundem Virginis Filium vices Sacerdotis obeuntem vidit, Matremque suam ipsi Petro, ut moris est, in facie Ecclesiæ sponsalia fieri, in perpetuum spiritualis conjugij fœdus desponsare, quo ex tempore Petrus, corde & animo in amorem Virginis gloriosæ totus colliquescens, *tanta devotionis dulcedine est affectus, ut ne quidem, nisi dè Virgine, consolationes quantascunq; oblatas posset recipere, nec cogitationes qualescunq;, quæ Virginem gloriosam non prætenderent, posset tolerare.*

1202. 722. Brabantiam illustrat B. Gilda Virgo lectissima, quæ cùm Deiparam unicè diligeret, eam opum omnium suarum ex asse & semisse hæredem voluit, sanctissimoque ejus nomini illustre Cœnobium, Cameræ B. M. V. condidit, & ne reservare sibi quidquam videretur, seipsam quoque Dominæ suæ dono dedit, & in eodem Cœnobio emancupavit, præesse aliquandiu coacta, donec precibus denique evinceret onere præfecturæ liberari, quo quietius Dominæ suæ ancillaretur.

Mo-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Moritur B. Guido Cistercij Abbas, totiusque sacræ Congregationis Generalis, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Rhemensis, Deiparæ amantissimus, de cujus obsequijs, & hujus favoribus jam satis diximus.
1203.	723.	Claruit hoc, circiter, tempore B. Sigerus Hemmenrodensis Monachus, à devotissimo Dominæ nostræ cultu celebratus, qui & alios quibuscunque poterat modis ad eamdem laudandam & amandam provocabat. Ad ipsum supremùm decumbentem dignata Cælorum Regina per semetipsam invisere, & magno splendore circumdata, gloriosissimum suum vultum eidem exhibere, quàm non multò post ad Regna æterna consequutus est.
1204.	724.	B. Bertrammus Monachus B. M. V. de Carixto magnis sub hoc ferè tempus favoribus, à Deipara fovetur, quàm ipse summo semper studio devotissimè coluit, usque adeò honore & gloriâ ejusdem delectatus, ut non sine magno cruciatu audiret, si quis de corporali ejusdem in Cælos assumptione vel in minimo dubitaret, unde raptus aliquando ab Angelo, *non in visione, sed realiter*, templum intravit, in quo Deiparam, Patriarcharum, Apostolorum, aliorumque Cælitum cuneis stipatam vidit, à qua humaniter exceptus audivit: *Scias pro certo Bertrame, me in utraq; substantia; id est, corpore & anima, glorificatam, & die quadragesimo à mortuis suscitatam.* Eidem mirabili item visione Cæli Regina, sacræ familiæ nostræ Cisterciensis inter reliquos Ordines sacros præstantiam ostendit, qui tandem multis revelationibus & sanctis operibus illustris migravit ad Dominum.
		Hoc eodem anno B. Arnaldus Cisterciensis Abbas ab Innocentio III. primus Inquisitor Hæreticæ pravitatis instituitur, quo ipso & Innocentius & Arnaldus Deiparam æternùm demeretur. Ille Inquisitione cùm Albigensibus tum nostræ etiam ætatis Hæreticis maximè metuendâ primùm institutâ, iste Albigensibus Dominæ suæ hostibus magna industriâ conquisitis, proscriptis, & exterminatis.

Me-

1205. 725. Memorando imprimis miraculo Sacerdoti cuidam Sabbatho ex itinere ad Ecclesiam quandam divertenti & Missam celebranti, exsectam ab Albigensibus linguam Deipara restituit: *Quia*, inquit, *propter fidem Filij mei, & honorem mihi exhibitum, linguâ tuâ privatus es, ecce novam tibi restituo, aperi ergò os tuum.* Quod cùm fecisset, digitis sacris ori ejus immissis, radici linguæ præcisæ eamdem carnem conjunxit, & disparuit, qui mox in vocem laudationis cum Gabriele erumpens, clarâ voce stupentibus universis clamavit: *Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum &c.* usque in finem, & cùm æger Cluuiaci decubuisset, illic restitutrici suæ se devovens, Monachum professus, linguam deinceps non minùs quàm animum in laudibus tantæ Tutelaris ad finem usque vitæ strenuè exercuit.

1206. 726. Magnâ sanctitate effulget in Monasterio Claræ-Vallis B. Gilbertus, alter Bernardus, cujus sibi per omnia imitandam vitam proposuit, cui Bernardus non aliter atque si in vivis ageret etiamnùm, familiarissimus fuit, adeò quidem ut subindè in ipsum planè immigrasse videretur, eosdemque quos ille olim persenserat, iste in se experiretur; integros quandoque dies raptus in extasim & cælestia mysteria contemplatus, cui & supremum ægrotanti Bernardus visibiliter adstitit, & exemplar hoc Bernardi Dominæ suæ à morte præsentavit.

Claret item B. Euphemia Virgo, Monialis B. M. V. de Ovenes, Deiparæ ab ipsa infantia devota admodum & dilecta, miris & cælestibus visitationibus à tenella ætate asuefacta, metuenda dæmoni, qui miris artificijs ipsam impedire, sed frustrà conatus est, ne in prædicto Cœnobio Cælorum se Reginæ devoveret.

1207. 727. Præclarè meretur de dilectissimo illo Dominæ nostræ Prædicatorum Ordinis Institutore S. Dominico B. Arnaldus noster, qui ipsum sibi in inquistione Hæreticorum Albigensium socium adjungit, non multò post, sacro Inquisitionis munere ad S. Dominici familiam penitùs transmisso, & usque hodie gloriosè administrato.

Ann. Chr. | S.P.N.

Felicissimè vitâ defungitur B. Didacus noster Oxomensis quondam Episcopus, Albigensium debellatur eruditissimus, alter ab ipso B. Dominico Ordinis Prædicatorum Deiparæ dilectissimi parens & Fundator, sub quo S. Dominicus Canonicatum olim meruerat, posteà in suo condendo Ordine omni ope adjutus, & contra adversarios quoscunque propugnatus. Dictavit idem Didacus ejusdem Marianæ familiæ Constitutiones, Vir per omnia magnus, de Cæli Regina ejusque Clientibus meritissimus magnis deinceps post mortem miraculis illustratus.

1208. 728. Decessit sub hæc tempora B. Ladislaus Cœnobij cujusdam in Polonia conversus, eâ simplicitate homo, ut nullam penitùs Orationem posset condiscere, quàm Dominæ nostræ salutationem cujus deinceps usum in ore perpetuò habuit, quam servuli sui ergà Matrem devotionem insigni miraculo DEUS à morte Ladislai honoravit, pulcherrimâ quamprimùm arborre è tumulo ipsius enata, cujus radicem principem terrâ egestâ è corde defuncti prodire, viderunt, qui aderant universi, & ne dubitarent quanam id è causa evenerit, per singula arboris folia distinctis inscriptum prodigiosè litteris, AVE MARIA, cum admiratione legerunt.

Convertitur ad meliorem frugem ope Deiparæ B. Henricus, Ucteris Montis Monachus, luxioris, laxiorisque vitæ apud S. Heribertum Coloniæ Canonicus, voce primùm Cælo delapsâ: *Fiat voluntas tua sicut in Cælo & in terra &c.* suaviter monitus, dehinc per visionem quandam de nocte territus, visus sibi in suæ domus Capella Dominæ suæ imaginem verbis Angeli salutare. Cui illa: ut quid me salutas? Homo perditus es, & nisi vitam tuam emendaveris, citius peribis. Ego enim & S. BENEDICTUS intercessimus pro te. Accedente dein infirmitate non differre ampliùs coactus, Dominæ tantæ manus dedit, & professus Monachũ, magnis deinceps virtutibus effulsit.

1209. 729. In Arnsburgensi Germaniæ Cœnobio celebratur sub hæc tempora B. Thomas Monachus, Reginæ Cælorum commendatissi-

Ann. Chr. S.P.N. datissimus, qui æger quandoque cùm ægritudinem amore Dominæ solaretur, adeò exarsit, ut ægrè lecto se continens, ab eo deniquè se abriperet, & in hortum egressus illic considens, oculis cordis & corporis defixissimis Cælem intueretur. Occurrêre è Cælis prænunciæ primùm SS. Agnes & Catharina Virgines, cælesti altera post alteram Cantico Thomæ præludentes, quas paulò post subsequuta Cælitum Augusta inter Angelorum agmina, inæstimabili circumfusa splendore, propiùs accedens & benignè Thomam compellans: *O Frater charissime*, inquit, *si placuerit, qualitercunq; recompensabo devotissimum famulatum tuum dulci Melodiâ.* Occinit confestim prodigiosissimum Canticum, nec sustinuit vehementiam jubili Thomas, factusque in extasi in faciem corruit, donec inventus à fratribus levaretur, jussusque Abbati rem ex ordine recitaret.

Claret eodem ferè tempore B. Simeon Hemmenrodensis Monachus, Dominæ nostræ peculiariter dilectus, uti addictus, quæ multis ipsum dignata favoribus, suâ non semel præsentiâ ipsum beavit, cumque aliquando in SS. Missæ Sacrificio sub Communionem Christum in Cruce suffixum intueretur, Calicem SS. Sanguine implentem, & abstineret præ reverentia ad Communionem accedere Gereon, adfuit illicò Divina Mater, & amanter objurgavit, indignitatemque obtendenti suam: *Tu te indignam*, inquit, *cogitas; & quis putas tantâ re dignus esse potest? Hanc igitur offensam tibi condonabo, sed vide ne de cætero simile feceris.* Fuit eâ postmodum cum Deipara colloquij dulcedine ita abreptus, ut omnem moram quàm brevissimam existimaverit.

1210. 730. B. Henricus egregiâ vitæ sanctitate & prophetico illustris spiritu, Hemmenrodensem DEI Genitricis domum ornatiorem reddit, qui mirâ felicitate, majore quâvis solemnitate verè festum agens diem, unicam Ordinis nostri Tutelarem, magnam Matrem Virginem spectabili formâ in choro meretur intueri, multaque alia consideratione dignissima observare.

Ann. Chr. | S.P.N.

Moritur sub hæc tempora B. Mengosus, ejusdem Cœnobii conversus, à B. Giselberto ad vitam revocatus, miranda quæ in Cælo viderat Fratribus memoravit, aliaque inter humilis Deiparæ servus, sedem sibi auream ad pedes ejusdem gloriosissimæ Virginis positam affirmavit, cum certa promissione, eam sibi, donec reverteretur, certò asservandam. Proindè qui compellente obedientiâ mortuus revixerat, annuente Abbate obdormijt denuò, & ad dulcissimos Dominæ pedes, locumque paratum redijt.

1211. 731. Claret hoc anno S. Wilhelmus, è Nivernēsi Comite Grandimontensis primùm Monachus, Cisterciensis dein, demùm Archiepiscopus Bituricensis, non sine voto Divinæ Matris electus, cum Odonis Viennensis lectissimi Archiepiscopi voto, è familia Dominæ nostræ Cisterciensi sanctissimi nonnulli certis consignati schedulis, his obsignatis, subque ara principe Cathedralis Ecclesiæ Marianæ, reconditis, invocato Dei ac Deiparæ nomine & ope, sorti obijcerentur. Prodijt Deiparæ gratissimus Wilhelmus primâ apertâ schedulâ, & ne dubites à Domina designatum, acclamante & gratulante populo, priusquam, quem scheda nominasset, innotesceret: tantus dein in vita omni, ut à morte præcipuus secundùm Dominam Tutelaris eligeretur.

Illustrat Heisterbacense Cœnobium B. Christianus Juvenis Matris Virgini dilectissimus, tanti ab ipsa factus, ut ad ipsum è Cælo descendere & invisere dignaretur. Claruit multis illustratus revelationibus, & eâ imprimis gratiâ, ut manus ejus cælestem odoris fragrantiam redolerent; cui plenè illa Sponsi quadrarent: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

1212. 732. Alius rursum mirâ innocentiâ adolescens Monachus Germaniam nostram haud leviter illustrat B. Wernherus, cognomento Junior, Eberbacensi in Cœnobio Monasticen professus, cui cum morte confligenti Domina nostra visibiliter adfuit, & dæmones, quos jam ipse intrepido contempserat animo, fugans,

gans,

Ann. Chr. | S.P.N.

gans, ipsum secum ad æternæ patriæ gaudia deduxit.

Quo ipso ferè tempore B. Wilhelmus generis & virtutum splendore illustris juvenis, cùm Deiparenti sese in Heisterbacensi Cœnobio emancupasset, alterâ mox post professionem die gravi tentatus infirmitate, eâdem non multò post exhaustus in pace requievit; quem B. Conradus Prior sub pallio B. M. V. amantissimè foveri vidit, & fratribus indicavit.

1213. 733. Pertulit hoc anno illustre Martyrium B. Petrus noster de Castro Novo, Abbas Fontis Frigidi, primus Hæreticæ labis Inquisitor & Apostolicum hoc munus suo sanguine Deo ac Deiparæ consecravit, cujus causam contra hostes Marianos Albigenses acerrimè egit, ab iisdem crudeliter trucidatus.

Claret in Gallijs B. Wilhelmus, Claræ vallis Monachus, qui Christum aliquando intuitus mundo interitum minantem, supplicem ipsi Dominam hæc ipsa interponentem & obsecrantem audijt: *Parce dilecte Fili, etsi non propter illos, saltem propter amicos meos, personas Ordinis Cisterciensis.*

Sub hoc item tempus vitam hanc deserit B. Gosbertus conversus, mirè, dum ipsi ex more à fratribus justa exolverentur, resuscitatus, triduum dein superstes, paratam sibi ad pedes Dominæ suæ sedem asseverans, ad quam post egregia exhortationis verba, tertiâ die denuò extinctus revertit.

Moritur admirabilis illa Maria de Oegnies, Inclusorum nostrorum rigidissimum complexa institutum, cujus Extraordinarius, quem memoramus, Deiparam colendi modus fuit, quo aliàs inter ad eandem preces usa est: cum intra 24. quandoque horas millies & centies flectens genua, salutabat gratiosissimam Tutelarem suam, & hoc salutandi Officium, quadraginta totos dies, in hunc, qui sequitur, modum continuabat: Primùm sexcenties flectebat genua, sine intermissione, deindè integrum Psalterium stans legebat, & ad singulos Psalmos Deiparæ flexis genibus Salutationem Angelicam offerebat. Tum trecentis vicibus ad singulas genuflexiones Virgâ se percutiebat, & tribus ultimis ictibus copiosum sanguinem

Ann. Chr.	S.P.N.	
		extrahebat. Tandem quinquagies flexis impliciter genibus, ſacrificium hoc conſummabat. Eadem concionandi donum cuidam à Deo impetrans, pro eodem, dum pro Concione diceret, centies Ave Maria recitare conſuevit, maximo fructu apud Auditores conſequente. Fertur autem, eamdem ſolitam ſingulis annis in Feſto Purificationis intueri ſanctiſſimam Dei Matrem Filium in templo offerentem. Meruit & alios inſignes à Deipara favores ejuſque Filio, quo cum frequentius colloqui meruit. Sub mortem 53. diebus nihil prorſus cibi accepit, à Chriſto quaſi compatiente ſæpiùs viſitata, Matrem Conſolationis Dominam noſtram perpetuò ferè aſſiſtentem lectulo contuita. Supremum ipſi Officium Chriſtus exhibuit, cruce ad pedem lectuli defixâ dum ſacro Oleo inungeretur, præſentibus Angelis, & officiosè ſervientibus, præſente item Cælitum Auguſtâ, cujus ſolemne Canticum *Magnificat* decantans feliciſſima ægrota, paulò poſt moritur, ætatis ſuæ 36. omnibus qui aderant, uti ipſa prædixerat, mirâ ſpiritus conſolatione perfuſis.
1214.	734.	Feliciciſſimè præliatur prælia Dominæ ſuæ contra hoſtes ejuſdem Albigenſes, S. Fulco noſter, Archiepiſcopus Toloſanus, & inſigni hoc anno victoriâ potitur.
		Ad ſupera concedit ſub hæc tempora B. Paulus converſus, Monaſterij B. M. V. de Luka, qui ſupremam jam agens animam, in riſum ſuaviſſimum reſolutus, mirantibus exultationem: *cur non riderem?* reſpondit: *cur non exultarem? Ecce Domina noſtra præſens eſt, & jam animam meam ſuſcipiet.* Dixit, & cum dicto animam exhalavit.
		Quo eodem ferè tempore deceſſit etiam B. Iſenbardus Hemmenrodenſis Sacriſta, qui ſub mortem raptus in extaſim, ſtupenda intueri meruit, retulitque inter alia: Vidi Dominam noſtram in immenſa claritate cum ſuis ſacris Virginibus, quæ ſe mihi promiſit in neceſſitate adfuturam.
1215.	735.	Meretur plurimùm B. Arnaldus noſter Narbonenſis Archiepiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, Hæreticæ pravitatis inquiſi-

Ann. Chr.	S. P. N	
		inquisitor, qui hoc anno plenè munus sacræ Inquisitionis in lectissimam Dominæ nostræ Prædicatorum familiam derivat, cujus auctoritate & gratiâ nixus S. Dominicus, sese ipsi Romam eunti ad Concilium, adjungit, ut Ordinis recèns instituti confirmationem ab Innncentio obtineret.
		Moritur hoc, circiter, tempore B. Anselmus, Dominæ nostræ in quodam Germaniæ Cisterciensis Ordinis Cœnobio emancupatus, qui ut amantissimus ejusdem erat, & juxta humillimus, cùm B. Henricum Hemmenrodensem (de quo suprà) rogasset, ut prò se preces offerre dignaretur, & amico huic satisfaceret apparuit oranti magna Mater inter SS. Magdalenam & Elisabetham, cui Magdalena: Hæc est universalis Domina, digito eam monstrans. Tu oras pro Anselmo, magis autem indiges, ut ipse pro te oret, ut facilè ex Henrici perfectione de Anselmo omineris & gradum facias.
1216.	736.	Claret B. Hermannus conversus Hemmenrodensis, Deiparæ dilectissimus, miræ innocentiæ & simplicitatis Vir, qui cùm post graves aliquando diei labores cubitum concederet, & recordaretur se præ negotiorum multitudine impeditum à *Cursu Mariano* fuisse, & mox lectulo exiliens orationem aggrederetur, adfuit illicò Divina Mater, utque recumberet ac securè quiesceret imperavit: se etenim pro ipso horam neglectam suppleturam. Quæ & supremùm decumbentem invisere & solari dignata est.
		Videntur sub hoc ferè tempus claruisse Beati Christianus Hemmenrodensis, & Robertus Claræ vallensis Monachi, quorum ille non semel alloquio magnæ Matris perfrui meruit, insigni aliquando favore ab Eadem & JESU Christo Filio ejus honoratus, cum mirâ dignatione ægrotanti quandoque assistentes. Cucullum induti Cisterciensium nostrorum, Horas cum Christiano Canonicas alternando complevêre. Robertus autem, raptus quandoque Deiparam cum S. Bernardo gratulabundos sibi occurrere vidit, & de præparatâ sibi in Cælis gloria edocere.

Chri-

Ann. Chr. | S.P.N.

Christiani, ni fallor, prædicti Abbas fuit B. Henricus & ipse Dominæ nostræ dilectissimus, & ab ipsa, ut videtur, suæ familiæ Præses destinatus, quam B. Sifridus Henrico baculum pastoralem porrigere vidit, cujus etiam mortem ipsa Cæli Regina S. Gertrudi Montis S. Walpurgæ Moniali, illustri admodum visione prænunciavit, cum hoc insuper memorabili promisso, omnes qui sub tanto Abbate vixerant Religiosos, certos esse de æterna beatitudine jubens. Ut videas quanto uno eodemque tempore copia suppetat, felicissimorum Deiparæ Dilectorum.

1217. 737. Vivit sub hæc tempora B. Joannes conversus in Monasterio Veteris Montis, dono Prophetiæ & varijs visionibus à Deo illustratus, cui Deipara super injurijs Dynastæ cujusdam quæsta his verbis est: *Oportet me recedere à loco isto*, dicente Joanne: *Et quò ibis, ô Domina? Ad Filium meum*, respondit, *conqueri de VVilhelmo de Helpenstain, qui me non sinit quiescere in loco isto.* Wilhelmus autem designata à Joanne die lanceâ transfossus, sacrilegij pœnas dedit.

Quo etiam tempore, ut videtur, B. Henricus in Hemmenrode magnâ religione Monachus vixit, cui, quod ægriùs ad Matutinas consurgeret primo tyrocinij anno, gravi pulsato tentatione, & in extasim rapto Deipara apparuit, Cucullo Ordinis amicta, inter copiosam Fratrum incedens multitudinem, quæ proximè accedens, *& quasi ex necessitate*, ut ipse referrebat, *ipsum tangens & veste percutiens*, omnem illicò tentationem propulsavit, ita ut deinceps ad Matutinas consurgere gestiret, & inter jucundissima reputaret.

1218. 738. Decessit huc anno Ottho IV. Heniri Leonis Guelphi Principum potentissimi filius, Imperator Augustus, ope Reginæ Cælitum per Ordinis nostri Monachos interpellatæ à flammis purgatricibus ereptus, velut ipse Abbatissæ cuidam nostræ, suæ Consanguineæ, visus à morte indicavit, certo Psalteriorum pro se lectorum numero, cuius Psalmo, uti petierat, subjectâ Angelicâ Salutatione, persolutis. Incertum an hoc ipso

florue-

Ann Chr. S.P.N. floruerit tempore, vero simile tamen, B. MARIA Monialis Monasterij Dunevvarch, quàm sæcularem etiamnùm exambire Filio suo Sponsam Cæli Regina visa est, cum raro sanè favore spectabili ipsi formâ apparens, sertum florigerum, cælesti elegantiâ nitidum, capiti ejus imposuit, & felicem verticem coronavit, quæ mox relicto sæculo, sub noctis silentium paternas deserens ædes, in prædicto se condens Cœnobio, Virginum Sponso se emancipavit.

1219. 739. B. Catharina Judæa sub Honorio (ni fallor) tertio claret, in Parco Dominarum Brabantiæ Monasterio Monasticen professa, quæ puellula etiamnum, solo audito MARIAE nomine mirificè affici cœpit, & pueris ostiatim per hoc nomen stipem rogantibus, panem furata parentibus, elargita est, tantùm ut sæpiùs dulce illud nomen exaudiret. Ipsam Deipara è Judaismo & sæculo extraxit, & per noctem apparens Virgâ splendida donavit, utq; resurgeret monuit, cui nimirùm grandis restaret via, ita per noctis tenebras ope Presbyteri cujusdã Parcũ profugit. Fuit Deiparenti Virgini ut addictissima, sic vicissim dilectissima, sæpiùs familiari ejusdem alloquio recreata, cui humilis Christi Sponsa dicere consueverat: *Aliæ*, inquiens, *hujus Monasterij sorores à Matribus & amicis solatium habent & gaudium, ego autem paupercula, pupilla, & indigna, ad te Dominam meam, ut Cognatam meam fidenter accedo. Tu sola pro omnibus, esto mihi refugium & solamen &c.*

Claret sub hoc item tempus, ut arbitror, B. Adam Monachus B. M. V. de Luka in Saxonia, qui ipsa in infantia, cùm necdum rectè effari verba posset, Salutationem Angelicam addidicit, & eam balbutiendo, incredibili tamen affectu, sæpissimè repetijt. Cumque in eo affectio ergà Dominam quotidie cresceret, ab eadem Regina Angelorum visitari, & familiarissimo perfrui colloquio meruit. Nocte quadam ante templum obseratum Reginam suam salutanti fores illicò divinitùs patuêre, ubi Dominam ante Altare considentem vidit, & ab ipsa vocatus, cùm genua ante pedes ejus flecteret, imponens illa

Ann. Chr. | S.P.N

manum capiti ejus: ab hac, inquit hora, usque in diem mortis tuæ non dolebis caput. Vixit non multò ante, vel temporibus B. Cæsarij Heisterbac.

1220. 740. Divinam Matrem egregiè demeretur B. Conradus Cardinalis Episcopus Portuensis, è Monacho Claræ-Vallis, qui cùm Marianam Patrum Prædicatorum familiam pro virili defenderet, ac promoveret, ad ipsum spectabili formâ invisere dignata Cælorum Augusta, & amicè alloquuta, gratias egit & gratulata est tam amici sibi Ordinis rem tam strenuè promovisse.

Transfertur solemniter hoc ipso anno S. Thomæ Archiepiscopi & Martyris corpus, cùm celeberrimis miraculis ejus sanctitatem Numen commendaret, de cujus ergà Deiparam obsequijs jam satis superiùs dictum est.

1221. 741. Moritur hoc anno celeberrimus & dilectissimus ille Virginum Virgini Prædicatorum Ordinis Institutor S. Dominicus qui Psalterium Marianum ante septingentos jam annos per admirabilem Patrem & Patriarcham nostrum BEEDICTUM, per ipsum ac filios ejusdem toto Orbe propagatum, de novo quasi Orbi introduxit. Idem ad preces Joannæ sterilis Matris ad tumulum S. Dominici nostri Exiliensis, ut nasceretur impetratus, & nomen Dominici sortitus, idem in eodem Cœnobio educatus, à nostris adjutus, promotus, varijs Domicilijs donatus, ut multis sanè nominibus nostris videatur accensendus.

Claret B. Cæsarius Monasterij B.M.V. in Heisterbach Prior, Deiparæ addictissimus, qui suorum, insignes acceptos ab eadem favores magnâ pij affectûs demonstratione litteris commendans, multorum, ut videtur, oculatus testis extitit, imò Magister eorum & ductor, qui tantam Deiparæ familiaritatem meruêre, proculdubiò dum aliorum gratiam commendat, suorum de industria celator præclarè gestorum, & favorum à magna Matre exhibitorum.

1222. 742. Cælos triumpho implet electissimus ille Matris Divinæ Clientulus, B. Waltherus Baro de Bierbach, Henrici Lovaniensis

Ann. Chr. S. P. N.

sis Ducis Consanguineus, qui sæcularis etiamnum beatissimam Virginem impensiùs diligens, cùm ad ludos equestres cum sociis pergeret & ex itinere ad Ecclesiam quandã diverteret, quiritantibus impediri eâ morâ fortunam suam sociis, missam nihilominùs de B. M. V. sibi cantari curavit, cum absentis à ludo vices Patrona optima prodigiosè supplevit, ita ut cùm procul abesset Waltherus, interesse tamen ludis, & palmam omnibus præripere videretur, omnium laudibus & plausu publico celebratus. Aliâ vice cùm sacris operanti Waltherus adesset, insolenti iterùm favore honoratus est: Sacerdos quippe cùm post Consecrationem elevaret calicem, sub eo crucem auream reperit, cum adjunctâ his ipsis verbis scriptâ schedulâ: Crucem hanc defer ex parte mea, MARIAE scilicet Matris Christi, amico meo Walthero militi propè Bierbach. Obstupuit Præsbyter, inquisitioneque factâ, si quis eo nomine Missæ interfuisset, crucem cum charta tradidit, quæ diu deinceps in Monasterio Hemmenrodensi servata, tanti fulgoris fuit, ut omne aurum in ejus comparatione pallesceret. Profesta Deiparæ & sextas sæpiùs ferias cùm ob reventiam sequentis Sabbathi solo in pane & aqua jejunaret, iterato aliquando prodigio bis aquam in vinum mutatum advertit, & silentium ministro perpetuum indixit. Monachum in Hemmenrode professus in demerenda Domina assiduus fuit, & cùm litteras ignoraret, plurimas tamen nihilominùs de Domina orationes memoriæ mandavit, è cujus ore nullum verbum in cassum excidit. Claruit miraculorum etiam gratia, à morte Sanctorum albo adscriptus.

Moritur eodem anno B. Jacobus Monachus S. Galgani in Tuscia, Angelicæ conversationis homo, qui dilectissimam Dominæ nostræ PP. Dominicanorum familiam suis precibus mirificè juvit & promovit, eoque Deiparam demeruit, ita rogatus à Patribus Dominicanis, ut Ordinem Numini commendaret, à DEO ipso ad ipsum delectus, quo dictante tres orationes accepit, quibus in Missa uteretur, à Domino Papa deinceps approbatas.

1223. 743. Claret hoc etiamnum, ut videtur, anno B. Mammertus Gusman, S. Petri propè Gumielem Abbas lectissimus, S. Dominici Ordinis Prædicatorum Institutoris frater Germanus, cujus per omnia vitam imitatus, & Psalterium proculdubiò Marianum præ omnibus alijs amplexus & familiare sibi faciens, fraternis & proprijs meritis DEO ac Deiparæ sese plurimùm commendavit.

Laborantibus in propagando Psalterio Mariano Patribus Dominicanis, non minùs strenuè Coronam Deiparæ propagat Ordo noster, à Petro quondam nostro Ambianensi adinventam, & usque hodie usurpatissimam, ita ut & Corona & Psalterium S. P. N. & filijs æternùm debeantur.

1224. 744. Evolat ad triumphos æternos, & choreas Virginum Cælestes S. Christina cognomento Mirabilis, quæ semel & secundò mortua, talia stupenda perpetravit, quæ hominis sensum planè exsuperant. Fuit autem Monialis Cœnobij S. Catharinæ juxta Divi Trudonis, quo ipso tempore vixisse credimus alteram Christinam, (nisi hac eadem sit) in monte S. Walpurgis, Angelicæ Conversationis Virginem, cui Christus & beatissima Mater plura & admiranda secreta revelârunt, quæ & Puerum JESUM quasi recens natum, cum beata Genitrice Virgine & Nutricio Joseph intueri meruit.

1225. 745. Martyrum Coronâ donatur S. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, vitâ & conversatione verè Monachus, Monachorum omnium Patronus, quorum etiam causâ Martyrium subijt, indignissimè à cognato Comite, cui pro Essendiensi Cœnobio se opposuerat, trucidatus. Idem beatissimam DEI Genitricem, *quæ Mater est pulchræ dilectionis* (ita vitæ scriptor) *ita dilexit, ut in ejus honorem omnes Ferias quartas jejunaverit, & aliquoties limina ejus in Rupe Amatoris visitaverit.* Nec dubium, quin pro eo, quo Reginam Martyrum coluit cultu, palmam quoque Martyrum obtinuerit.

1226. 746. Molitur jussu Deiparæ Ecclesiam Marianam eodem ipso loco, quo olim eidem S. P. N. BENEDICTUS struxerat, B. Lauren-

ren-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		rentius Sublacensis, cui Regina Cælorum dixit: Hic habitabo propter tuam ergà me devotionem, quæ dum conderetur, multa prodigiosa evenerunt, 628. annis postquam diruta prior fuit à Longobardis.
		Vitam mortalem cum immortali mutat B. Arnaldus Narbonensis Archiepiscopus, & Apostolicus Legatus, cujus prodigiosissima illa paulò ante mortem victoria fuit, cùm ipse Cruce signatos contra juratissimos Deiparæ hostes Albigenses duceret, ipsam Cælorum Reginam precibus Cælo quasi devocatis, cùm ipse modicâ militum manu ingentes hostium exercitus protereret, visâ in aëre Deiparâ, quæ magnas hostium strages ederet, igneisque globis in capita hostium devolutis, Arnaldo suo prodigiosissimè assisteret & auxiliaretur.
		Moritur eodem anno S. Laurentius noster, Dublinensis Episcopus, cùm se Deo & beatissimæ Virgini amantissimus amantissimæ commendasset, de quo nos jam superiùs, qualiter à nemine alio, nisi hoc Laurentio, Dei Genitrix, etsi aliena in Diœcesi, suam voluerit Ecclesiam consecrari.
1227.	747.	Valedicit mortalibus B. Iveta Reclusa, Divinæ Matri longè addictissima, quam cùm Christus Dominus, peccata etiam levia olim commissa deflere moneret, rogante pro ea Cælitũ Imperatrice: *Fiat*, inquit Christus, *O Mater, quod petis: ego quidem ei peccata remitto, ipsam verò tibi committo, tuo nomini, tuoq; eam specialiter assignans amori & obsequio. Et ex illa hora* (verba vitæ Scriptoris ponimus) *accepit eam misericordiæ Mater in sua, blandèq; consolans lugubrem, & per manus illam assumens, manibus Filij repræsentat, qui osculo oris sui eam sibi reconcilians, reddidit eam Matri suæ: Mater, inquiens, ecce Filia tua: hanc tibi commendo, velut propriam, velut ancillam perpetuò peculiarem, hancq; ut tuam custodi, protege, & guberna.* Addit Scriptor: *Et qui audivit, ex ore ejus testimonium perhibuit, & scimus, quia verum est testimonium ejus.* Habuit familiarissimam deinceps Dominam felicissima hæc ancillula, tantopere affecta ad tantam Matrem, *quod præ amoris magnitudine, videretur sibimet quasi oblita*

S. P. N. *lita Filij, nihilominùs nunc Matris nunc Filij fruebatur præsentiâ, aspectu & alloquijs*, nunc amplexabatur pedes, nunc osculatur manus, nunc in pectore recumbebat JESU, nunc MARIAE jucundabatur amplexibus, sentiebatque de Domino in bonitate, quàm suavis in se, quàm dulcis in MARIA Matre, quàm immensus in Majestate, quàm humilis in carne, quàm inenarrabilis splendor gloria, quàm suavis in utero, dulcis in gremio, suave jugum in brachijs, onus leve in humero Matri Filius, MARIAE CHRISTUS, quàm gloriosus in dextera Patris, quàm copiosus in Matris gloria, quàm denique bonum, quàm suave, quàm jucundum cum CHRISTO & MARIA esse, &c.

Ann. Chr.

Moritur eodem anno B. Conradus noster S. R. E. Cardinalis de familia B. M. V. Dominicana meritissimus, cui quàm gratulata fuerit magna Mater, jam suprà retulimus.

1228. 748. Corporis carcere solvitur B. Anulphus, conversus Monasterij Villariensis, qui Virginum Virginem ab initio statim conversionis filiali planè amore coluit, cujus septem gaudia certis precibus quotidie recolens, non aliter atque S. Thomas Cantuariensis de septem alijs quibus in Cælo nunc frueretur recolendis, & monitus, & eadem edoctus est. Sed & aliàs frequenter tam Domina quàm Filius ejusdem sese Arnulpho spectabili formâ exhibuêre. Illud rariùs, cùm quotiescunque negotium ille præ manibus haberet, Dominæ priùs commendans, non priùs aggrederetur, quàm responsum per ipsam à Numine accepisset. Aliàs cùm Choris interesse Sanctorum gestiret, & Christus ipsi apparens hujus voti compotem redderet, exhibito jam jucundissimo omnium Cæli Ordinum spectaculo, *Sufficiuntne*, inquit Christus, *tibi ista?* quo, ut erat simplicissimus, negante hæc sufficere; illicò Filius Virginis Matrem suprà omnes exaltatam exhibens, virum sanctum mirificè contentum reddidit & exhilaratum. Ipsi quandoque Virgo Mater Filium amplexandum cùm obtulisset, consolationis magnitudinem jam porrò ferre non sustinens, ut reciperet

Ann. Chr.	S.P.N.	
		peret Filium, Matrem enixè rogavit, ea deinceps dulcedine adeò inescatus, ut totos 40. dies, quidquid ederet, biberetque, insipidum ipsi videretur. Claruit Prophetico Spiritu, non minùs à morte quàm in vita miraculis illustratus.
1229.	749.	S. Thomas Doctor Angelicus, septuennis etiamnum puer, Pandulpho patruo suo, Casinensi Abbati educandus traditur in schola S. BENEDICTI Mariano amore & Virginitatis studio innutriendus, qui quantus evaserit in castissimi amoris ergà Cæli Reginam studijs, libris editis Orbi & posteritati omni prodidit, parte potissimum tertiâ summæ Theologicæ, & in opusculo 8. quod est de Salutatione Angelica, quam infans etiamnum in schedula descriptam offendens, cùm extorquere nemo posset, Mater denique arte quadam eripuisset, fletibus repetitam, illicò devorans deglutijt.
		Claret egregiâ vitæ integritate beatæ mem. Bertholdus Abbas Weingartensis, Deiparæ unicissimè addictus, ejusdem cultum miro studio promovens, qui Sabbatho quovis, præter consuetum Officium alterum solemne de Domina cantari in perpetuum instituit, tantaque verborum gratiâ & eloquentiâ ejus amorem scriptis commendavit, ut planè divinum quid, singula ejus verba, magno cum pondere instillare legenti cuivis videantur.
1230.	750.	Moritur sub hunc ferè annum B. Eva Reclusa Leodiensis, quæ in festo Corporis Christi solemniter instituendo plurimùm laboravit, Deiparam in carne & sanguine Filij Dei & Virginis insigniter demerita, quod agnoscens B. mem. Urbanus IV. Pont. Max. datis ad ipsam litteris, ipsismet DEI Genitricis verbis Evæ gratulatur: *Magnificet igitur, dilecta filia, anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in DEO Salutari tuo, quia viderunt oculi tui, Salutare tuum.*
		Extinguitur eodem anno B. Joanna Comitissa Flandriæ, Balduini Constantinopolitani Imp. filia, Dominæ nostræ devotissima, cujus honori cum celebre Cœnobium B. M. V. Reclinatorium exstruxisset, & diversas ejus familias locupletasset,

seipsam

Ann. Chr.	S. P. N.	
		ſeipsã tandẽ conſentiente religioſiſſimo Marito Principe, Dominæ ſuæ in Cœnobio emancupans, magnis virtutibus emicuit.
		Idem ſimiliter annus terris abſtulit, Cælo dedit, B. Simeonem, Monaſterij Alnenſis Converſum, quem, etſi vilem in Cœnobio opilionem ageret, tanti tamen Cælorum Regina fecit, Legatum ſuum eſſe vellet, ad ſummum Eccleſiæ Paſtorem Innocentium III. cùm is ad inſtantiam Cruce Signatorum 40. partem omnium mobilium à Ciſtercienſibus peteret, certiſſimum de ſynceritate Legati factum, cùm Simeon occultiſſima quævis animi Innocentio proderet, tanti deinceps ab hoc factus, ut ad Concilium Lateranenſe, rudem cæterà hominem, ſolemniter evocaret.
1231.	751.	Sanctiſſimus Toloſanorum Archiepiſcopus Fulco Albigenſibus Deiparæ hoſtibus feliciſſimè triumphatis moritur, is, quem viventem etiamnum Jacobus de Vitriaco Cardinalis, *totius Eccleſiæ Chriſti fortem Columnam* ſalutavit.
		Maximo Cæli plauſu excipitur carne ſoluta B. Ida de Nivella, Virgo Sanctimonialis DEO & Deiparæ chariſſima, ab illo mirificè illuminata, & admirabili Divinitatis & SS. Trinitatis, quantùm fas homini erat, cognitione eminentiſſima, ab hac, Divina ſcilicet Matre, maximis benevolentiæ ſignis honorata. Cui alia inter filium ſpectabili formâ, benè diu, amplexandum & tractandum tradidit: *Accipe eum*, inquit, *& collocans in gremio tuo, deſideratis amplexibus & oſculis diem Feſtum age cum eo.* Accepit Ida, & inſatiabili ſtringens deſiderio oſculari non deſijt, aſſidente Deiparâ, & cum gratulatione ludum illum ſpectante, donec exſatiatam, an exhauſtam amoribus, recepto filio ſublevaret & diſpareret, durante duos integros menſes in anima ejus admirabili quadam Cæleſtis dulcoris abundantia. Deceſſit anno ætatis 32.
1232.	752.	Ipſo anno iterùm nova Ordinis noſtri familia Virginum Virgini, immortali cum merito ſacratur & inſtituitur per S. Sylveſtrum noſtrum, ab ipſo deinceps ſimul & Deiparâ B. M. V. Sylveſtrinorum appellata.

Condi-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Conditur eodem anno illustre B.M.V. Seligentalense Cœnobium, haud longè ab Landishutana civitate, per Ludmillam Bavariæ Ducissam, & insigni Marianarum Virginum familiâ instruitur.
1233.	753.	Insigne Deiparenti monimentum erigit B. Ulboldus noster, Aulam Dei vulgò Novum Monasterium apud Suecam Frisiæ oppidum, quod nomini tantæ Matris sacrans, ipsam ex asse & semisse hæredem instituit, seque ipsum, ne ut fundator honoraretur, emancupans Virginum Virgini in veteri Monasterio Monachum induit, & ut verè servum Dominæ se esse contestaretur, inter conversos suscipi, summis honoribus antetulit.
		Iterùm nova & illustrissima Cælorum Reginæ in terris familia instituitur, & dicatur Ordo Montesiæ, quem tamen sequenti sæculo restitutum, & novæ quasi origini redditum, suo loco redhibebimus.
1234.	754.	S. Tarasia sive Theresia Regina Legionis, Alphonsi Regis Uxor, Sancij I. Lusitaniæ Regis filia, Hispanias egregiâ vitæ sanctitate illustrat, quæ post trium susceptionem liberorum, ob propinquitatem sanguinis à Marito disjuncta, Deiparæ ancillis in Monasterio B. M. V. Lorvaniensi adjuncta, magnam Matremfamilias in ejus familia insigniter demeruit, cùm hanc rigidiore Ordinis reformatione quasi novam reddidit. Claruit magnâ miraculorum gratiâ, quæ inter duos morti proximos, solo complexu suo prodigiosè restituit, cujus ipsa, quæ manus abluerat, aqua febricitantibus remedium attulit, mortem instare sibi præcognoscens, ad templum deduci voluit, & in conspectu Ven. Sacramenti dulcissimis verbis Mariano valedicens cœtui, flexis genibus suavissimum sibi Dominæ suæ Canticum: *Magnificat*, cantari rogans, ad versum: *Suscepit Israel &c.* Caput super manus inclinans suaviter exspiravit. Cujus sacrum Corpus post trecentos & ampliùs à morte annos, repertum est adeò incorruptum, quasi tunc primùm terræ fuisset commendatum.

Ann. Chr. | S.P.N.

Hoc anno nova iterùm & ampliſſima Divinæ Matris familia Ordo B. M. V. de Mercede per Gregorium IX. Pontificem Max. approbatur, à quo deinceps magna ſanctitatis exempla & beneficia in Orbem Chriſtianum emanârunt.

Contigit haud multò poſt novum hunc Ordinem inſtitutum, mirabilis inventio imaginis B. M. V. Auxiliatricis vulgò dictæ, in Metropoli Cordubenſi, hoc ipſo anno Maurorum etiamnum jugo depreſsâ. Apparuit Deipara captivo cuidam Chriſtiano ſerâ nocte ipſam precibus ſollicitante, ipſumque & mox nobilem urbem ſervitutis jugo liberandos pollicita. Pignoris loco imaginem eſſe ſuam juſſit, quam defoſſam in Heri ſui villa, ſub ceſpite virenti, arbuſtis undiq; circumdato, eſſet reperturus, quæ deinceps imago univerſæ Hiſpaniæ maximo in pretio ſit habenda. Mox alterâ die Maurus captivos ſuos ad prædictam villam laboratum miſit, qui ignorante Domino, deſignato loco imaginem reperêre; adeò jam læti, ut certi, de futura redemptione. (Herus re fortè compertâ, ſpe lucri non modicâ, imaginem ad ſe pertinere contendit; & emptorem indagans, primos RR. PP. noſtros *de Mercede* reperit, qui quantùm poſtulaverat illicò exſolverunt. Mercedem ſanè magnam redemptæ miſericordiæ Matris meruêre verè pij in Matrem filij, quæ mox ſequenti anno & Cordubam & totam provinciam miſerabili è ſervitute vindicavit, & Ferdinando Regi in profligandis Mauris potenter adfuit, qui imaginis repertæ & factæ promiſſionis à Deipara benè memor in perennem rei memoriam inſignem imagini præfatæ Baſilicam ſuperſtruxit, & larga donatione Patribus de Mercede Cœnobium fundavit.

1236. 756. Immortali merito Dominam noſtram demeretur B. Gregorius IX. Pont. Max. qui fideles univerſos ſtudio ergà Deiparam incenſurus, & concitaturus, pulſum æris campani ad ſalutationem Angelicam inſtituit, uſque hodie tanto cum fructu uſurpatum, ut quotieſcunque ſub ſolis ortum & occaſum atque interdiu ad ſalutandam Dominam eo ſigno commonemur,

non

Ann. Chr.	S.P.N.	
		non tam ab æris, quàm vocis & fervoris Gregoriani sonoritate concitemur.
1238.	758.	Supremus hic annus B. Jordano, Ordinis Prædicatorum illustrissimo Syderi & Generali, qui cùm vivens interpellasset S. Lutgardem nostram, totius sacræ PP. Dominicanorum familiæ Mater ut esse dignaretur, & ut annueret importunis precibus an conjurationibus impetrasset, à morte eidem apparens promissi admonuit, serioque denuò pro dilecta illa magnæ Virgini familia, Patronam hanc exoravit, quod hanc apud DEUM & Deiparam esse potentissimam, multò jam perspectiùs in Cælo haberet, quàm in terris cognovisset.
1239.	759.	Admirabili prorsus vitæ Sanctimoniâ effulget B. Aleydes à Scarenbeca, Monialis Monasterij B. M. V. quod Cameram appellant, ubi septuennis puella Dominæ suæ se obtulit, & stupendâ patientiâ Matri dolorosæ se conformans, Sponso Virginum se probans, utrumque mirificè demeruit, cùm à planta pedis usque ad verticem plena ulceribus & immensis doloribus, à Dominæ tamen suæ obsequijs nihil remitteret, & Dominum tantò magis amaret semper & glorificaret.
1240.	760.	Moritur B. Guilielmus Olivetani, in Comitatu Hannoniæ, Monasterij conditor, DEO ac Deiparæ dilectissimus, qui ipsum crebrò & familiarissimè spectabili formâ visitare & recreare dignati sunt, magnâ miraculorum gratiâ illustrissimus.
		Quo ipso anno Cælum triumphans invehitur sanctissimus ille & purissimus Reginæ Cælorum Amasius, S. Edmundus noster Cantuariensis Archiepiscopus, Edmundi nomine appellatus, quod totus ex utero mundus prodijsset. Hic puer etiamnùm castitatis votum coram imagine Dominæ suæ nuncupavit, & imaginis digito annulum ad id frabrefactum, tanquam sponsalitium, miro amoris inventu affectuque inseruit, ipse item annulum Amasiæ tam castæ quasi symbolum, salutatoinis Angelicæ verbis inscriptum perpetuò gestavit; memoriam tam charæ Dominæ perpetuò fovens, ipsis intentus studijs eburneam ejusdem imaginem coram se perpetuò habebat, solitus

An n. Chr.	S. P. N.	
		quotidie ad honorem ejusdem & Joannis Evangelistæ Orationem: *O intemerata &c.* recitare, cùm negligeret aliquando, minitabundum ferulâ Evangelistam conspexit, blandissimè admonitus, gratissimum Dominæ ac sibi servitium deinceps minimè præterire. Etiam Episcopus, Officium Deiparæ quotidie recitavit, ad cujus altare post Matutinas secedens, illic cum lacrymis & gemitibus persistebat. Totus quantus erat Dominæ suæ perpetuò devotus addictusque, cujus sacrum à morte Corpus, post quatuor mensium spacium repertum est incorruptum.
1241.	761.	Post ingentia de Orbe Christiano merita, plurimos exantlatos labores, ad Coronam Regni æterni vocatur B. Gregorius IX. Pont. Max. S. P. N. serâ licèt consanguinitate cognatus, professione Ordinis filius Dominæ nostræ amantissimus, quam alia inter merita, æternùm sibi obligavit, gratissimâ ipsi & Angelis Antiphonâ illâ Hermanni Contracti: *Salve Regina.* in Ecclesiam universam auctoritate Pontificiâ introductâ, cùm ut Horis Canonicis omnibus & singulis in Choro subijceretur, decrevisset. Decessit, ut meruerat ipsâ Octavâ Assumptionis Tutelaris suæ, ab ipsa ad triumphos æternos evocatus.
1242.	762.	Orbi universo, teste DEO ipso ac Deiparâ, consulit S. Lutgardis nostra Aquiriensis Abbatissa, à quo non semel sed sæpiùs, intentatum à Numine interitum avertit. Cui veste lugubri apparens aliquando Cæli Regina: *Ecce*, inquit, *ab Hæreticis & Pseudo-Christianis rursus crucifigitur Filius meus! Tu ergò assume tibi lamentum, & perpetuis septem annis jejunato, ut sopiatur ira Filij mei, quæ generatim universo imminet Orbi.* Fuit familiarissima Luitgardi Divina Mater, ad quam ex eo tempore quo Ordinem professa est, familiari consuetudine invisere dignata est, & dulcia miscere colloquia, quàm & in specialem protectionē accepit.
1243.	763.	Decessit hoc anno S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ, Monialis Trebniciensis, quod ipsa Cœnobium honori Virginum Virginis fundavit & nuncupavit, quâ cùm irremisso studio aman-

tissimè

Ann. Chr. | S.P.N.

tissimè coleret, icunculam ejus eburneam etiam domo egressa plerumque manibus prætulit, & cùm eadem infirmis benedicens plurimos incolumitati reddidit; quam etiam moritura ita fortiter manu strinxit; ut neque mortuæ posset commodè evelli, ijs quibus fortiùs strinxerat digitis, multò post in tumulo repertis incorruptis.

Moritur eodem anno B. Frater Laurentius Sublacensis 16. Aug. Deiparæ mirificè addictus, conditus in cripta à Cælorum Regina specialiter designata.

Obijt eodem anno in Hispanijs S. Bernardus noster Urquensis Episcopus, Mahometanorum Deiparæ hostium hostis juratus, quorum tamen plurimos Dominæ suæ amicos reddidit, quin & cruce signans in prælia Dominæ destinavit; tantus Virginitatis amator; ut cùm pro concione dicens, nobiles quasdam mulieres dentium ipsius nitorem mirari in spiritu cognosceret; excussos illicò cum sanguine indignabundus in illas conijceret, & tentationes illarum dissiparet.

1244. 764. Moritur S. Guala Brixiensis Episcopus, qui sanctitate Domesticorum Deiparæ in Valle Umbrosa delectatus, nihil magis; quàm sub umbra illius; quàm desideraverat, requiescere exambijt; ad cujus pedes lituo abjecto & infulis, factus ex Pontifice humilis Deiparæ servulus; magnis virtutibus emicuit, inter præcipua familiæ Marianæ decora numeratus.

1245. 765. Gallias celebritate famæ ob insignem vitæ sanctitatem implet; S. Theobaldus Baro de Marlij, Abbas Vallium Cernaij, qui DEI Genitricem in omni vita solertissimè coluit, & mirificè adamavit; cujus cùm aliquando illa vices in ludis equestribus strenuè compensasset, dum ille in ejus Ecclesia sacris interesset; cunctis ipsi primas & triumphum gratulantibus, ipse miraculo compunctus; totum se illicò Dominæ devovit, & Abbas dein electus, sacram ejus familiam mirè illustravit. Hic tantopere castis illius amoribus arsit, ut vel nomine quidem solo Dilectæ exaudito, totus liquefactus, in hæc erumperet: *Nomen dulce Virginis gloriosæ, nomen venerabile, nomen benedictum,*

Ann. Chr. | S.P.N. | *nomen* (benignè amantis sensum oportet explices) *ineffabile, & amabile in æternùm.*

1246. 766. Demeretur sub hoc tempus merito immortali Dominam nostram, Innocentius eo nomine IV. è Monacho Fructuariensi Pontifex Maximus, qui Benedictini Amoris Symbolo Dominam honoraturus, amatores ejusdem omnes æternùm sibi obligat, Octavâ Nativitatis Beatissimæ MARIAE Virginis in Ecclesiam introductâ & imperatâ, ut totos illos octo dies cultui tantæ Matris Sacratiores, universa fidelium pietas, Innocentij meritis jure merito adscribat, & venerantem veneretur.

1247. 767. Moritur B. Theobaldus Abbas Vallium Cernaij, de quo paulò ante, cujus alia inter obsequia Deiparæ exhibita, insignis illa est precatiuncula, quotiescunque Ven. Sacramentum Eucharistiæ præteriret: *Benedictus IESVS Christus DEI Filius, qui suâ Nativitate glorificavit ineffabili gloriâ gloriosissimam Matrem suam*; quod revelatione Divinâ didicisset, plurimùm hæc verba DEO ac Virginum Virgini placere.

Extinguitur eodem anno B. Juliana Corneliensis, quæ multis præcedentibus revelationibus Festum SS. Corporis Christi impetravit institui. Eadem Deiparæ longè devotissima, cujus festivissimo illo Cantico: Magnificat anima mea Dominum &c. mirificè est delectata, novies illud ipsum quotidie ferventissimo religiosissimi animi affectu repetens, in memoriam novem mensium, quibus DEI Filius in sacratissimo Virginis Utero latuerat, quod ipsum ut facerent, familiares suos hortabatur.

1249. 769. Admirando fulgore sanctitatis Gallias & Germaniam illuminat B. Bonifacius noster Lausanensis Episcopus, à puero, ut Virginum Virginis purissimis debebatur amoribus, adeò Virgineus, ut infantulus etiamnùm, cùm Mater, avia, seu nutrix osculum figerent, vultum illicò veste detegeret, vel os ablueret. Fuit in vita omni Dominæ nostræ addictissimus, cui ægrotanti aliquando, cùm nimiò ejus laboraret desiderio,

ad-

Ann. Chr. | S.P.N.

adfuit illicò, Divino splendore circumfusa; cumque affusus ad pedes ejus æger, in hæc verba erumperet: *Sancta* MARIA *sanctifica me.* Mox illa: *Et sanctificavi*, inquit, *& iterùm sanctificabo te.*

1250. 770. In Cælos evolat B. Aleydis nostra à Scarenbeca, Monialis Cameræ B. M. V. in cujus jam eam morituræ occursum spectabili formâ occurrit cum Filio Virginum Sponso ipsa Cæli Imperatrix, sic ipsam Aleydem compellante Domino: *Bonum*, inquit, *certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti: propter quod nunc venio, ut duplici Coronâ tam Martyris quam Virginis decorata, in æternam requiem introducaris.*

1252. 772. Claret B. Mafalda Castellæ quondam Regina, quæ cùm celeberrimum B. M. V. de Arauca Cœnobium ad honorem Cælorum Reginæ insigniter restaurasset, eidem sese ancillam in eodem Monasterio devovens, cucullo mutans purpuram, miro vitæ rigore & sanctitate ibidem Dominæ suæ servijt. Cujus sacrum corpusculum nostra primùm ætate repertum est incorruptum, præter paucula partes, quibus ossium aliquid apparebat, facie tamen ita florida, ac si ipsâ horâ vivere desijsset, cælesti Odoris fragrantiâ universos recreante, Angelorum etiam Musicâ à nonnullis auditâ, multis insuper prodigiosè curatis.

1254. 774. Moritur B. Innocentius eo nomine IV. Pont. Max. Fructuariæ Monachus, Apparatûs sacri Commentariorum in libros Decretalium Author, grandi sanè elogio *Pater Iuris* appellatus. Idem Divinæ Matris observantissimus, cujus Augustissimæ Nativitatis, durante usque hodie religione, Octavam, ut vocamus, instituit, sacris autem ejusdem familijs Cisterciensi, Dominicanæ, alijsque impensè favit, dilectissimum illum Virginis S. Edmundum Sanctorum albo adscripsit. Juratissimos Dominæ hostes Saracenos omni conatu eversos voluit. Quo etiam auctore S. MARIAE vulgò in via Basilica, ob insigne miraculum, consurrexit, ut alia ejus merita sanè maxima prætereamus.

1255. 775. Divinissimæ Gertrudis nostræ multa jam memoranda essent

quæ

Ann. Chr.	S. P. N.	
		quæ necdum quidem Abbatiſſa, miraculum tamen ſanctimonialis Virginis, Divinæ Matri ſingulariter commendata & dilecta, ab eadem quotidianos ferè favores meruit, de qua ſuo loco uberiùs. Iterùm illuſtre Cælorum Reginæ honori ſtruitur monimentum, Fürſtenfeldenſe Ciſtercienſium Virginum Cœnobium, quod Ludovicus Bavariæ Dux condidit, in expiationem cædis propriæ Conjugis, quàm repentino furore inſimulatam adulterij occiderat.
1257.	777.	Admirabili gratiâ Cælo ſe terriſque commendat dilectiſſima illa Deo ac Deiparæ Virgo B. Beatrix noſtra, Monaſterij B. M. V. in Nazareth propè Liram Prioriſſa, quæ cùm Dei Genitrici ejuſque Filio per profeſſionem Monachicam ſe devoveret in prædicto Cœnobio in oculis Epiſcopi rapta ſpiritu, ea omnia quæ Epiſcopus in corpore ſuo peragebat, Virginum Sponſam interiùs operari in ſua anima, clarè perſpexit; legentem nimirùm, benedicentem, coronam capiti imponentem, digitum annulo aptantem &c. Fuit hæc Deiparæ à prima ætatula longè addictiſſima, aſſiduo Roſarij & Pſalterij ejuſdem uſu, tantopere delectata, ut jugiter orando penè deficeret, & clanculum de nocte è lectulo ſurgens, crebris & moleſtis genuflexionibus, in nive ſcilicet, vel glacie, tenerrima genua & poplites mergendo, magnam Matrem ejuſque Filium ſalutaret, ut haud mireris, tantam deinceps evaſiſſe.
1259.	779.	Inſigniter demeretur Cælorum Auguſtam Alexander noſter IV. Pont. Max. lectiſſimâ illâ & dilectiſſima B. M. V. familiâ; Ordine Sylveſtrianorum noſtrorum confirmato, ex quo deinceps viri illuſtriſſimi prodiere, & in Congregatione non ſolùm illâ, ſed ab hac in alios propagatus Deiparæ cultus, maxima paſſim incrementa ſumpſit. Idem Pontifex bellum Aſiaticum contra Saracenos Dominæ noſtræ hoſtes magno conatu promovet, à multis cæteroquin meritis commendatus.
1260.	780.	Cælitibus adjungitur hoc anno S. Bonifacius noſter Lauſannenſis Pontifex, ex Pontifice Monachus, & magnæ Cælorum Auguſtæ Camerarius, qui cum abdicato Pontificatu, & duabus

alijs

Ann. Chr.	S. P. N.	
		aliis Episcopalibus rejectis Cathedris ad Monasterium Cameræ B. M. V diverteret, sic à sacra quadem Virgine salutatus est: *Hoc præcipit vobis B. Virgo MARIA, ut maneatis hîc nobiscum, quia voluntas ejus est, & Filij ejus.* Is præter alias gratias à Domina sua acceptas, eam etiam peculiarem meruit, cùm ipso Natalis Dominici Festo æger lecto decumberet, ut ad dilectum suum invisens, verè festum diem ipsi redderet, & quod ampliùs est, illum Benedictum Fructum Ventris sui JESUM in lectulo Bonifacij deponeret, quem in vita olim omni lectulus tam mollis nunquam exceperat.
1261.	781.	Mortalitatem exuit hoc anno B. Laurentius Dunensis Monachus, in quo devotio quædam ergà Dominam nostram singularis se prodidit, cujus aliquando in oratione defixi, & quasi extra se facti cum cor nimium incalesceret, Angelus Divino fulgore circumdatus ipsi apparuit, qui tantopere Marianũ diligentem Psalterium, insigni sanè munere beavit, & Cælo allatam Rosarij Decadem dono attulit. Ex quo facilè, quàm fervens deinceps orando fuerit, omineris.
1262.	782.	Memorabili rursùm prodigio (ut multas alias apud nostros Basilicas) Ædem Deiparæ Dunensem, in solemni ejusdem dedicatione honorat & commendat Virginis Filius, & cum sacro illi Mariano Cœtui, tum omni circumjacenti provinciæ januam amplissimam gratiæ apperit, & spem ergà Tutelarem loci mirificè accendit, loco ipso cælesti quadam luce adeò illustrato, ut remotissimis è locis, velut grande urbis alicujus incendium spectaretur. Neque hoc solùm tunc miraculo Domicilij Mariani sanctitatem probante, sed plurimis prodigiosè à diversissimis, morborum generibus curatis, prodigiosè etiam tunc piscium affluente copiâ, cùm innumera penè mortalium eo confluxisset multitudo.
1263.	783.	Cultum Dominæ nostræ mirificè promovent, Patres nostri Camaldulenses, familia Deiparæ singularissimè devota & propria, è qua hoc ipso tempore illustrissima Sydera plura exsplendescunt.

1264. 784. Moritur B. Compagnus primus Prior Monasterij S. MARIAE de Porcilia, quem inter præcipuos magnæ Virginis cultores, in Chronologia sua recenset Ferreolus Locrius, cujus usque hodie Virgineum Corpus perseverat penitùs incorruptum.

Extinguitur eodem anno B. Urbanus eo nomine IV. Pontifex Max. eruditione non minùs quàm honore & religione maximus, B. M. V. de Fossa nova Monachus, eidem Tutelari suæ semper devotissimus, cujus honorem ad honoris summum in terris evectus fastigium, pro virili promovit, & hostes ejusdem Saracenos, non sine præsenti Numinis ope, felicissimè profligavit, sacris peculiariùs Virgini familijs plurimùm promotis & reformatis meritissimus, sed ante omnia Divinam Matrem sibi æternùm obligans, cùm carnem de carne ejus tantopere honoraret, & Orbi universo celebrandum Corporis Christi Festum solemniter institueret.

1265. 785. Iterùm spectatissimum Cælorum Imperatrici monimentum ponitur, Monasterium B. M. V. à Regale Valle, quod in Diœcesi Nolana condit hoc anno & Mariano Gynecæo Virginum Cistercìensium instruit Carolus Siciliæ Rex, Ludovici Galliarum Regis frater Germanus.

1267. 787. Corporis vinculis solvitur S. Parisius sive Paris, Monachus Taruisinus, qui in præstantissima illa Camaldulensium nostrorum familia amoribus Marianis castissimè exercitatus, qui memorabili sanè exemplo centum & sedecim annos in summo vitæ rigore exigens, Dominæ suæ in obsequio solus ipse sæculum totum exegit, è veteranis Cælorum Augustæ Palatinis, præ alijs eo ipso venerandus, & Dominæ suæ præ alijs item, à tam diuturno servitio commendatus. Vir Prophetico spiritu, & magnis cùm in vita, tum post mortem miraculis clarus.

Ipso anno feliciter ad præmia æternitatis concedit B. Juliana Abbatissa, SS. Blasij & Cataldi Venetijs, Comitissa de Collalto, Deiparæ devotissima, quæ alia inter beneficia nocte Nativitatis Christi recolens summâ devotione partum illum Virgineum, spectabili formâ Virginis Filium in ulnas suscipere

& diu

Ann. Chr. | S.P.N. & diu amplecti meruit. Jacet usque hodie dormienti similis super Ara, ad quam anno 1650. celebrare merui.

1268. 788. Hoc tandem anno ad Cælos evolat magna illa Beatrix nostra Priorissa in Nazareth, de cujus à teneris unguiculis ergà Deiparentem affectu jam satis suprà; amore suo ergà Reginam Angelorum merita, ut inter Seraphinos rapta aliquando, *Seraphicum se effectam spiritum cognosceret.* Cujus cordi loquens aliquando Virginum Sponsus: *Fœdus ineamus*, inquit, *ac de cætero haud dividamur, sed veraciter uniamur.* Alias inter gratias illam, pro quantam! adepta, suâ ut voluntate privaretur, tota deinceps in Divinam transfusa.

1269. 789. Memorabilis his annus, unius Marianæ Domus extra-ordinariâ felicitate, cùm in solo Claræ vallis Cœnobio, quod jam haud multum ab obitu Bernardi sæculum excesserat, sanctitatis opinione celebrium Monachorum, omnium omninò, nullo excepto, Cultorum & Amicorum Deiparæ peculiarium, corpora nongenta & ampliùs elevarentur, & in sacellum, quod Flandriæ Comitum appellant, transportarentur, quem locum sæpè visus est cælestis & prodigiosus splendor illustrare, multis deinceps illic patratis miraculis.

1270. 790. Elevatur solemniter hoc anno Corpus magni illius Cæsar-Augustani Episcopi, S. Braulionis nostri, Deiparæ longè amantissimi, cujus Ecclesiam de Columna se Pilari dictam insigniter coluit, &, ut suprà diximus, dies noctesque orationibus illic intentus perduravit, nunc in eadem summis honoribus anniversariâ memoriâ celebratus.

1271. 791. Divinissima Gertrudt nostra, Virginum Virgini familiarissima, hoc anno sui Cœnobij Abbatissa eligitur, ita quidem, ut Vicaria potiùs magnæ Matris familias nostræ, esse videretur & esset. Quod ipsa Cælorum Augusta, quanti filias ipsi Gertrudi creditas faceret, sæpiùs reapse monstravit, & stupendis sanè benevolentiæ argumentis comprobavit; quæ inter insigne illud, cùm aliquando inter blandos amplexus filij rogata pro congregatione præsenti orare, appræhensâ filij dexterâ, cum

Ann. Chr. | S.P.N.

eâdem fororibus universis benedixit, qua ex benedictione super personam quamlibet videbatur forma crucis aureæ cum viridi Zona dependere. Sed enarrare singula, nimis prolixum foret, cùm Gertrudis facta omnia, & gratiæ cùm à Matre Divinâ, tum Filio, vix satis explicari posse videantur.

1272. 792. Cælo gaudens invehitur sub hunc ferè annum B. Albertus Abbas, Monasterij B. M. V. de Oliva, qui Prussiam olim Deiparæ peculiarius sacram, radijs sanctitatis mirificè illustravit, & filios Deiparæ sibi creditos ita instituit, ut Olivæ Cœnobio haud incongruè illa aptari viderentur: *Filij tui*, (O Regina gloriæ) *sicut novellæ Olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Qui cùm de peculiari illo magnæ Virginis domicilio magna prædicari inaudisset, illic vitam claudere exoptans, cùm ad Capitulum Generale profectus eo diverteret, quo desideraverat loco in Domino obdormijt, quo ipso tempore quadringenti illic miro vitæ rigore convixisse Monachi memorantur.

1274. 794. Inexplicabile rursum de Augusta Cælorum S. Petri nostri, de Morono meritum, qui hoc ipso anno, augendæ Religionis cupidus novam Deiparæ, sub Regula S. P. N. Benedicti familiam instituit, ab ipso dein, postquam Cælestini nomen electus Pontifex accepit, Cælestinam appellatam. Fuit is Monachus Monasterij B. M. V. Fesulani, à puero tantæ Matri peculiarius commendatus & dilectus, ut quæ ad ipsum familiariter invisere, atque unà adducens Joannem Evangelistam suum, ipsum litteris instituere dignata sit, ut facilè adverteris, quantùm his Magistris Petrus profecerit.

1276. 796. Maximis meritis demeretur nostros, & familiam imprimis Deiparæ Cistercienfem, Jacobus I. Aragonum Rex, cognomento expugnator, qui solus (stupenda res!) bis mille ædibus honori Virginis Virginum constructis, victorijs ope Deiparæ, ejusque militum sub nostra Regula militantium, partis planè admirandis, Hispaniam tot Basilicis, & Cœnobijs Marianis Marianam totam reddidit. Qui & ipse, ne se minùs quidquam Reginæ Cælorum offerret, Regem sese in servum per-

Ann. Chr. | S.P.N.

perpetuum obtulit, & abdicato Regno cucullum amplexus, gloriosissimo fine tot victorias coronavit.

1278. 798. Floret admirabili vitæ sanctitate B. Mechtildis nostra, Divinæ Gertrudis Socia, Virginum Virgini dilectissima, quæ ipsi familiaris admodum extitit,& alia inter modum sibi longè gratissimum Salutationem Angelicam orandi, & multa alia docuit.

1279. 799. Rursus Mariani nominis insigne consurgit monimentum, Margaritæ Flandriæ Comitissæ operâ & sumptibus Monasterium B. M. V. Flinense, dedicatum hoc ipso anno per Petrum Archiepiscopum Rhemensem, & insigni Gynecæo Virginum nostrarum Cisterciensium instructum.

1280. 800. Beatæ memoriæ Guerricus Abbas Igniacensis floruisse etiamnùm à quibusdam scribitur, de cujus præconijs non est quod loquamur, cùm ipse quæ scripsit omnia MARIAM sonent, MARIAM in cordibus audientium insculpant, imò ut lac, ut mel infundant, cujus nobilitatem prædicans, sic inter alia: *Clara proavorum titulis (MARIA) sed incomparabiliter clarior generositate prolis, Filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum. Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI, sed quidquid de te à mortali homine dicitur, celsitudinis tuæ meritis non æquatur &c.*

1282. 802. Mortale Corpus exuit S. Torellus noster, lectissimæ Congregationis & familiæ Marianæ Vallis Umbrosæ Monachus, admirabili vitæ rigore inter Domesticos maximæ Virginis spectatissimus, qui cùm sexaginta annis Dominæ suæ ejusque Filio magna fidelitate servijsset, ad præmia æternitatis vocatus est, campanis sponte sonantibus, viri sanctitatem prodentibus, cujus de corpore cùm multi contenderent, nemo movere potuit, quàm Abbas, sub quo se cliens tantus, tantæ Dominæ & Patronæ devoverat.

1284. 804. Iterùm prodigiosa inter nostros Divina Mater in Styria, & Cella sua se prodit, innumeris deinceps inde Auxiliatricem misericordiæ & gratiæ manum porrectura. Et hoc quidem anno Henricum Moraviæ Marchionem, usu membrorum desti-

Ann Chr.	S.P.N.	
		tutum, desperatumque à Medicis, nec meliore sorte Optimi Principis Conjugem Agnetem Paralysi decumbentem, utrumque grandi miraculo sanat, & quod plùs est, spectabili formâ Henrico visus, quem invocaverat S. Wenceslaus, Cellam invitat, atque illic suæ Sospitatrici utrumque gratias persolvere admonet. Restituti proin magno prodigio, magno suorum plausu & comitatu, in Austriam profecti locum inquirunt, eo usque minùs cognitum, & à rectâ aberrantes cælestis Genij ductu, peregrinum simulantis eo delati, gratiosissimam Sospitatricis suæ imaginem proni venerantur, & locum multis donant muneribus.
1285.	805.	Iidem lectissimi Principes acceptæ gratiæ & beneficii minimè immemores, affectu Cellas identidem recurrentes, quod tam gratiosam Imaginem ligneo tantùm Sacello inclusam, conflagrationi obnoxiam esse metuerent, simul honorandæ tantæ Dominæ studio, & accendendæ suo exemplo provinciæ, templum illic à fundamentis moliuntur, & in locum ligneæ Cellæ reponunt.
		Hoc anno Imago B. M. V. à S. Luca picta & Troade ex Græcia Romam advecta, per Angelum Frangipanem Equitem Romanum, inque PP. Olivet. æde collocata, hâc supradicto anno gravi incendio exusta, permanet illæsa.
1287.	807.	Singulis annis memorandi forent, singularissimi exhibiti favores, magnæ Gertrudi nostræ à maxima Cælorum Imperatrice, è quibus subindè pauca obiter memoramus, quale hoc ipsum fuit, cùm Magistram ejus ageret, & tanquam Discipulam in rebus Divinis informaret, & quem pro diversitate festorum suorum cultum amaret, familiarissimè edoceret.
1289.	809.	Sub hoc ferè tempus, absolutâ magnæ Matris Cellensi Basilicâ, miraculi cùm per Moraviam, tum Austriam, vicinamque Styriam ac Carinthiam dilatatâ latiùs famâ, crescit loco honos, & magno concursu fidelium frequentatus, etiam donarijs augetur & honoratur, Cælorum deinceps Imperatrice liberali misericordiæ suæ ostensione, varia in peregrinos suos beneficia elargiente.

1290. 810. Jussu Divino laborat plurimùm magna Gertrudr nostra in in scribendis Insinuationum Divinæ pietatis libris, quibus cùm Dei tum Deiparæ ingentes sibi exhibitos favores deprædicans, neminem non ad Dominæ tantæ ac Virginis amorem succendit.

1291. 811. S. Petrus noster de Morono Ordinem suum sub auspicijs magnæ Matris latiùs propagat, cui nomen dat S. Robertus Salentinus, puerulus etiamnum Sanctutius ob sanctitatem, neque aliter deinceps ab ipsomet sanctissimo Fundatore appellatus, Deiparam plurimùm demeritus, cùm ex Domesticis ejusdem familiæ præcipuis exemplo suo plurimos attraheret, & Dominæ suæ lucraretur, virtute miraculorum celeberrimus, quæ inter & mortuum suscitavit.

1292. 812. Mirabile prorsus, litterarum studijs passim remittentibus, ut suprà vidimus, Virgines nostras Marianas scriptioni librorum se dedisse, & verò plerasque cùm à Deo tum Romanis Pontificibus scribere coactas esse, scribit hoc ipso tempore immortali cum merito dilectissima Cælorum Reginæ S. Mechtildis nostra librum suarum revelationum, ex quo facilè advertas, quanti ipsam cùm Virginum Virgo, tum Filices Virginis fecerit, & utriusque discipulam Mechtildem, haud minùs quàm Gertrudim mireris & venereris.

Eodem anno moritur B. Jacobus de Certaldo, Camald. Deiparæ addictissimus, quam tamen præcipuè omnibus Sabbathi diebus precibus singularibus colere consueverat, miraculorum gloriâ illustris.

1294. 814. S. Petrus de Morono noster Cælestinæ Virginis familiæ sanctissimus Institutor, invitus reluctansque Pontifex Maximus eligitur, & Cælestini nomine Cælitum Reginæ cælestis jam in terris Domesticus appellatur, qui tamen vix exactis quinque eo in honore mensibus, stupente orbe Principatum Orbis universum reijciens, inque odorem unguentorum Dominæ suæ recurrens, Scholæ se denuò ejus & amoribus castissimis totum

tra-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		tradidit, quam Magistram sequutus humilitatis, patientiæ etiam deinceps habiturus, sequuturus.
		Moritur eodem anno B. Alanus noster Cisterciensis Monachus, *Doctor universalis* cognominatus, qui præter alia obsequia Cælorum Reginam & Cælites omnes insigniter demeruit, infanda quadam Hæresi Invocationem Sanctorum damnante, mirâ felicitate oppressâ, ad quem Hæresiarcha: *Tune es Alanus, an diabolus? Alanus,* ille respondit, *non diabolus*.
1296.	816.	Moritur in carceribus (ad quos ipsum retraxerat Schisma metuens successor Bonifacius,) cùm universi hominem verè sanctissimum titulum & honores Pontificios admittere vellent, cui sanctissimi nomen reapse congrueret, S. Cælestinus noster, nuper Pontifex Maximus, Deiparæ à prima ætatula commendatissimus, cùm triennem etiamnùm ligno acuto in dextero percussum oculo, excæcatum, prodigiosè Virgo Mater sanasset, ipsum deinceps tanquam vera pietatis & scientiæ Magistra spectabili præsentiâ instruxisset &c. Qui maximis deinceps à morte miraculis illustratus est.
1298.	818.	Claret sub hoc ipsum tempus B. Sancia Regina Lusitaniæ, Sancij Regis filia, Soror Alphonsi, & Sanctarum Tarasiæ & Mafaldæ Legionis & Castellæ Reginarum, quæ ut suum ergà Reginam Cæli amorem insigni monimento omni posteritati testaretur, unicè Tutelaris honori & nomini B. M. V. Cellense Cœnobium condidit, in quo etiam seipsam Divinæ Matri emancipavit, cujus fidelitatem Virginis filius remunerans miraculorum gloriâ commendavit.
1299.	819.	Claruisse sub hunc annum videtur B. Guntelinus Anglus à Viribus corporis plurimùm commendatus, sed vitijs mersissimus, quem misericordiæ Mater mirabili quadam visione lucrata ad saniorem mentem reduxit, postquam supplicia damnatorum & Beatorum præmia conspexisset, visus sibi ad Sacellum quoddam adduci, ubi Deipara immensum inter splendorem residebat, ad quam accedens S. P. N. BENEDICTUS, pro more sui Ordinis, *Benedicite*, inquit, cui Bene-

dicta

Ann. Chr. | S.P.N. dicta Mater, *Dominus*, respondit. Tum ille: *Domina*, ait, *ecce Novitius quem adduci jussistis*, (persuasus siquidem ab Abbate quodam suscipi rogaverat) cui illa: *Visne*, ait, *morari in domo mea mecum, ad serviendum mihi sicut promisisti?* Respondenti: *etiam Domina*: Subdidit illa: *Iura ergò mihi super illud Altare & vove, quod mihi semper servies, & opera facies Domini & custodies.* Quo jurante, accepto juramento Divina Mater, ad Beatissimum Patrem: *Reducite*, inquit, *eum, unde adduxistis.* Cui deinceps Guntelinus ita servijt, ut inter fidelissimos Dominæ servos, eosdemque beatissimos accenseri meruerit.

1300. 820. Sæculum illustrat miris fulgoribus sanctitatis B. Joannes de Monte mirabili, ex Regum Galliæ descendens sanguine, mundus in mundo ipso à mundi sceleribus, pauperum, infirmorum, leprosorum Princeps advocatus, Reginæ Cælorum studio & amore accensissimus, cui sæculari etiamnum iste à Cæli Regina favor obtigit: cùm enim equo ejus aliquando imaginem prætervectus, tunc primùm advertisset, & mox equo desiliens, reversusque ac provolutus in genua, errati veniam rogasset, Imago Deiparæ, transverso cæteroquin vultu, grandi ut miraculo sic dignatione, faciem illicò convertit, tantiq; Principis studium accipiens gratiosè commendavit. Is totus deinceps Virginum Virginis ut esset, cucullum in longi-Pontis Cœnobio amplexus, tantis post obitum miraculis claruit, ut quotquot ad ejus sepulchrum convenirent, à quacunque infirmitate sanarentur.

1301. 821. Referenda sub hoc ferè tempus, vita an vitæ terminus B. Antoniæ cognomento Nunnez, nobilitate generis & virtutum splendore celebris, quæ Monasticen in Monasterio S. BENEDICTI de Castris professa, Virginem Matrem summo cordis affectu coluit, quam & supremum lectulo decumbens intueri meruit, dulcem illum ventris sui fructum inter ulnas foventem, quæ eundem pro Antonia sua affectuosè interpellans, pronissimus ad vota tam charæ Matris promptè exaudijt, & Antoniæ requiem & felicitatem æternam promisit, ad quam illa

Ann. Chr.	S. P. N.	
		post tantæ promissionis gratiam & certitudinem paulò post emigravit. Cæterùm de anno & sæculo addubitamus.
1302.	822.	Claret mira sanctitate B. Aldobrandesca Monialis S. Congregationis Humiliatorum, quæ longâ oratione Deiparam intueri rogans, id alterâ vice impetrat. Sed & particeps fieri gladij dolorum ejusdem meretur. Aliàs Mysterium Nativitatis Christi & mira alia intuetur.
1303.	823.	Moritur hoc anno Bonifacius VIII. Pont. Max. doctrinâ, prudentiâ, & rerum experientiâ præstantissimus, Deiparentis studiosissimus, cujus sui affectûs insigne in Vaticana Ecclesia reliquit monimentum, ejusdem Divinæ Matris & suam Effigiem, quam posteriorem Apostolorum Princeps Cælorum Reginæ offerret & quasi commendaret, suam omnem post DEUM sitam in DEI Matre spem, eâ Imagine contestatus. Quo ipso Pontifice Jubileum solemne ad A. C. 1300. promulgante, Deipara cuidam famulo suo, quantùm id sibi Filioque placeret, insigni quadam visione demonstravit. Cæterùm Bonifacij Corpus quod plurimis Deiparæ & Virginitatis singularibus cultoribus obtigit, post annos ab obitu trecentos integrum repertum est, atque incorruptum. Fertur idem author Antiphonæ: Ave Virgo gloriosa.
1304.	824.	Reginæ Martyrum insigniter se probat beatæ mem. Hermannus Dynasta de Schönstein, Fabariensis B. M. V. vetustissimi Cœnobij Asceta, Abbas MARIAE-Montanus, in Comitatu Tirolensi, qui animam suam pro Domina sua ponens, cùm jura creditæ sibi villicationis pro virili tueretur, à sacrilegis tentus, & in nemore quodam decollatus, Martyrij palmam promeruit. Visus à morte non jam pullâ, ut anteà, veste, sed Virginum Virginis colore proprio, veste niveâ, Superis jam domesticis tantæ Reginæ accensus, admirabili vultûs Majestate, Cœnobij sui curam agere, & alter jam juxta Deiparam Patronus, Dominæ suæ etiam à morte rem & familiam curare, atque insuper promittens, *strenuum se absq; intermissione ejus Cœnobij Patronam fore & Protectorem.*

Cæle-

1305. 825. Cælestinorum cælestis etiam in terris Cælitum Imperatricis familia admirandâ felicitate progressus habet, plurimis è remotissimis etiam provincijs Viris præstantissimis, huic nomen dare, haud aliter atque inter Cælites adscribi gestientibus, quod recentia sanctitatis exempla & miracula ejus Institutoris, ipsaque discipulorum sanctitas, omnium animos percellerent atque invitarent.

1307. 827. Sanctissima illa Virgo & Divinæ Matri familiarissima Domestica B. Mechtildis, Orbem cùm exemplo tum scriptis suis egregiè demeretur, ad quam Deiparæ Cultorem, tanquam fontem remittimus, puros illic amoris Mariani latices hausturum ne aquam turbare videamur.

1308. 828. Claruit sub hoc tempus B. Elisabetha de Spalbecke, sacræ magnæ Matris Cistercienſi adscripta familiæ, si quæ unquam è sacro Virginum Cœtu Dominam suam per omnia sanè vestigia consequuta, altera in terris Mater dolorosa, viva sanè Dolorosæ Imago, cujus animam ille ipse doloris gladius quotidie pertransivit dolore intensissimo in ipsa etiam corporis membra sese transfundente, cùm non aliter atque præsens olim Divina Mater SS. Passionis Mysteria septenis quotidie horis, Matutina, Prima, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vespertinâ & Completorij mirabili modo contueretur. Eadem haud aliter atque Seraphicus Franciscus quinque SS. JESU Christi Stygmatibus insignita, quibus ex vulneribus Sanguis frequenter, maximè sextis Ferijs erumpebat.

1310. 830. Cælum triumphans petit mira sui ipsius triumphatrix S. Humilitas nostra Faventina, Humilitatis Magistræ lectissima discipula, quæ præter voluntatem conjugij vinculis ligata, consensu viri impetrato, professa Monasticen, inclusorum denique rigorem amplexa est. Fuit Deiparenti à prima ætate addictissima, ita ut quanto poterat obsequio Dominam suam coleret & demereretur, quæ & magnæ Matris familiarissimum Joannem Evangelistam familiarem meruit, cujus apparentis sibi jussione Florentiam demigrare jussa, tanti Tutelaris hono-

Ann. Chr. | S.P.N. | ri ac nomini Cœnobium condidit, & insignem Virginum Marianarum cœtum aggregans, has in Virginis Matris amore Joanni commendavit, mortua A. C. 1310. ætatis suæ nonagesimo, cùm in vivis etiamnum agens mortuum suscitasset.

Moritur stans B. Aldobrandesca, sic reperta viventi simillima, cellulâ ejusdem solis splendorem emittente, juxta cælestis odoris miram fragrantiam.

1311. 831. Exspectatissimus Cæli Civibus hic annus, & triumphi plenissimus, teste DEO ipso, qui Gertrudi suæ hæc ipsa aliquando: *Omnis Cælorum*, inquit, *dignitas, ineffabili desiderio illam jucundissimam horam exspectat, quâ te excipiat & portet.* Quæ nimirum hora hoc anno Cælis & Gertrudi obtigit, cùm felicissima ipsius anima corpore solveretur, cui Divina item Veritas promiserat: quod sicut in morte Christi virtus amoris nobilissima separasset animam ipsius Domini JESU à corpore, ita in morte istius Divinus Amor deberet omnes vires ejus consummere. Obdormivit autem Divinæ Matris ejusque Filij dilectissima, in sinu Domini, brachio ejus (ut ipsi anteà præostensum fuerat) sustentata, & caput ipsius Virgine Matre, Cæli Reginâ elevante, infinitâ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarũ, Martyrũ, Confessorum, Virginũ & Viduarũ, occurrente multitudine, singulis Apostolorũ, singulos annulos aureos, Joanne autem Evangelistâ duos digitis ejus aptantibus & indentibus. Cui viventi promisit Sponsus, neminem ex hac vita migraturum, qui pro collatis Gertrudi gratijs Datorem laudaret, *nisi priùs DEVS alicujus specialis familiaritatis delectationem in anima ejus haberet.* De qua Blosius illuminatissimus Abbas, affirmare non dubitavit: *Nisi homines scirent*, inquit, *potentiam & bonitatem Domini esse interminam, vix credere possent, illum tantam amicitiæ familiaritatem, præcellentissimæ Matri suæ demonstrasse in terris, quantam isti demonstravit.*

1312. 832. Haud longè superasse Gertrudis annos Mechtildem credimus, & hunc, etsi dubiâ fide, cùm certum nesciamus, morti hujus annum assignamus, haud minùs Deiparæ quàm Ger-

trudt

Ann. Chr.	S.P.N.	
		trudt fuerat æmicæ eoque nomine omnibus magnæ Matris cultoribus præcipuâ dilectione venerandæ. Eam ipsam fuisse, quæ solâ litterâ M. notatur in libro Insinuationum quinto, ex eo liquit, quod M. Cantrix Cœnobij appelletur, cùm constet Mechtildem Cantricem Cœnobij Elpidiani fuisse, de cujus morte idem liber memorat, quod ipsa Dominam interpellans rogaverit, sororum post obitum suum perpetuam esse Advocatam, Deiparâ illicò annuente, extensisque manibus ad manus infirmæ curam commissæ sibi Congregationis, quasi de manu ejus suscipiente. Vidit & alia sacra Virgo, cùm in agone Mechtildt jaceret, Divinam Matrem ægrotanti præsentem, & animam infirmæ coaptantem ad delicias Divinitatis, Filio Virginis monile quoddam, mirabiliter radiantibus distinctum gemmis pectori infirmæ imponente, & ex meritis Matris suæ hoc eam privilegio specialiùs donante, ut ad similitudinem Genitricis suæ Mater diceretur & Virgo, eò quòd casto Zelo memoriam sui in multorum cordibus genuisset.
1313.	833.	Magnus ille à puero Cælorum Reginæ Domesticus Ephæbus, & Senator deinceps S. Petrus de Morono, olim Cælestinus Pont. Max. solemni ritu Sanctorum albo adscribitur.
1314.	834.	Sub hoc ferè tempus non longè post mortem magnæ Gertrudis, mortua in eodem Cœnobio est puella quædam, cujus nomen tacetur, *quæ ab infantia Matri Salvatoris nostri specialiter fuerat addicta*: Hæc sequenti die apparuit, quasi sedens in sinu Domini, præsenti Cæli Reginâ Matre Domini, quæ illi gaudia & merita sua præbere videbatur, cumque pro ea Psalterium distinctum cum Ave MARIA Conventus legeret, ad singula verba videbatur Mater Domini animæ Xenia porrigere.
1316.	836.	Insignis ille & antiquus Deiparæ cultor S. DEO-chatus Abbas Hasenrietanus, eo ipso quo magnam Matrem tantopere honoraverat loco, honoratur, & elevatur, ac deinceps pro meritis juxta Virginum Virginem loci Tutelaris adoptatur.
1317.	837.	Hoc denique anno præclarissima illa Gentium Dominatricis Cælorum Reginæ Equestris sub Regula nostra familia, mi-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		litum Marianorum de Montesia, novâ quasi origine nascitur, quæ sub auspicijs potentissimæ Tutelaris suæ impios Maurorum conatus feliciter deinceps excepit, & felicissimè sæpiùs eorundē exercitus triumphavit, cujus Curam ipse in seipsum suscipit Jacobus Jacobi Aragonum Regis filius, qui ut Dominæ suæ militare se illustri argumento comprobasset, intactâ relictâ Eleonorâ Alphonsi Castellæ Regis filiâ, quæ ipsi fuerat desponsata, Virginum Virgini manus, & huic nomen dedit militiæ.
		Honorat honorantes olim Deipara, ejusque filius hoc anno Honoratam & Faustinam Virgines, quæ cùm olim Dominam suam impensissimè ut ad annū Christi 580. vidimus, coluissent, nunc solemni ritu pro meritis elevatæ, ad Novocamensem DEI Genitricis Cathedralem Basilicam translatæ sunt, & juxta Divinam Matrem inter Tutelares à Comensibus, Placentinis, Veronensibus, & Mantuanis adoptata, insigni memoriâ celebrantur.
1319.	839.	Iterùm potentissimus, etsi sub titulo Militum JESU Christi, propriè tamen sub instituto magnæ Matris ejusque familia Cisterciensi, Ordo instituitur, adeò exambientibus servitium hoc Marianum potentissimis quibusque ut de eo scribere non dubitet Henriquezius nullum in Regno Portugalliæ (ubi militia illa consurrexit) quantumvis magnum & potentissimum Principem esse, qui se esse aliquid credat, nisi militiæ hujus nobilitetur insigni; nullumque Proregem in Indiam destinandum esse, qui non summo sibi ducat honori, si hoc ordine à Principe suo donetur. Ut videas, quanta etiam apud Indos esse debeat, familiæ hujus nostræ Marianæ æstimatio. Monasterium Ordinis Princeps est Tomarium, proximum elegantiâ post Escuriale, abstinentiâ & Religione Carthusianis propiùs est, quàm alijs Religiosis, splendore Divini Officij Cathedralibus par Ecclesijs, habetque sub se 389. Præfecturas, ferturque in censu numerare sexcenta millia ducatorum.
		Sed multò illustrior, ut fœcundior sanctitate Congregatio nostra sive Ordo beatissimæ Matris Virginis Olivetanus, institutus

Ann. Chr.	S.P.N.	
		tutus hoc eodem anno, à S. Bernardo Tolomæo nostro, celeberrimo quondam in Universitate Senensi Juris Professore. Is è morbi cujusdam vehementia utroque orbatus lumine, ut perspicatior deinceps esset, cùm Deiparæ se, relicto devovisset sæculo, si convalesceret, convaluit usu quamprimùm recepto oculorum. Voti reus, ut solveret, ad vicinum Senæ Montem cum socijs Ambrosio Piccolumineo & Patricio à Patricijs secessit, ubi Cellulas aliquot condidit, atque scalam ad Cælos usque porrigi vidit, per quam candido amictu Religiosos Angeli ad Cælorum Regem & Reginam his ipsis etiam niveo amictu refulgentibus, deducerent. Quo ipso loco fundamenta Religionis posuit, & à Guidone Aretino Episcopo, cui Deipara S. BENEDICTI Regulam in visione quadam, cum niveo habitu Bernardo dandam porrexit, & ut hunc commendatum haberet, imperavit, ipsâ solemni die S. P. N. BENEDICTI, inter missarum solemnia, candido habitu cum socijs indutus est, magno deinceps fructu insignem hanc magnæ Matris familiam, benedictionibusque ac gratijs consequentibus.
1320.	840.	Incertum nobis vitâ an Magistram defunctus hoc anno sit Patricius à Patricijs, primus prædictæ familiæ Generalis, Virginum Virginis tanto in Ordine Vicarius. Certè abeunti an obeunti successit hoc ipso anno Ambrosius Piccolomineus, cùm sanctissimus Ordinis Institutor Magistram sequutus Humilitatis, Dominæ suæ, non aliâ re magis commendare se vellet, atque etiam commendaret, quàm Humilitate.
1221.	841.	Vivere desijt in terris, immortalitatem in Cælis inchoans, Ven. mem. Engelbertus Abbas, familiâ (nostra quidem opinione) Dynastarum de Volckersdorff, Admontensis in Styria Cœnobij Antistes lectissimus, Matris misericordiæ Præco singularis, Vir ut pietate, sic & eruditione præstantissimus, qui plurima inter ingenij præstantissimi monimenta, ut æternùm Bendictini Spiritus, sui ergà Deiparam affectûs & studij monimentum relinqueret, insignem *de Gratia & virtutibus* B. M. V. librum scripsit, in quo alia inter, *Regni misericordiæ indivi-*

sum

Ann. Chr. | S.P.N.

sum cum Filio Imperium ipsi tribuit, aitque, *miserirordiæ Filij*, *velut thesauri sibi commissi*, *Dispensatricem.* Ejus etiam fertur Rythmus ille esse, quem centum quinquaginta post ipsum annis tantopere adamavit B. Casimirus Poloniæ Princeps: *Omni die dic Mariæ mea laudes anima.* Ut facilè de cæteris tanti Abbatis omineris.

1323. 843. Summo Cælitum plausu excipitur hoc anno corpus exutus, Doctor Angelicus Thomas, Comes de Aquino, Ordinis Prædicatorum Monachus, & Professor Theologiæ absolutissimus, Sol Theologorum, Casini à puero institutus, illic Landulpho patruo suo Casinensi Abbati commendatus, & Grammaticâ, Logicâ, & naturalibus ibidem institutus. Neapolim dein missus, ubi Martinum Neapolitanum, & Petrum de Hybernia, Benedictinos doctissimos, sacræ Theologiæ Magistros habuit, teste Ptolomæo Lucensi Dominicano, qui ipsi S. Thomæ à Confessionibus fuerat, posteà primùm anno ætatis vicesimo secundo in Prædicatorum Ordinem adscriptus, ut tantum Deiparæ Cultorem Benedictino à lactè tantopere adolevisse advertas, de cujus ergà Dominam affectu & pietate jam superiùs dictum est, hoc ad complementum, apud nostros etiam in Monasterio Fossæ Novæ Dominæ amoribus castissimis & Cantico ejus Canticorum immortuum, supremam animam exhalasse, corpus reliquisse, donec inter alia plurima Ordini Prædicatorum collata beneficia, tanti etiam corporis exuvias sibi detraherent, ut tam amicam Deiparæ sibique familiam bearet.

Hoc ipso anno S. Bernardus noster Ptolomæus cogitur institutæ à se familiæ Marianæ Olivetanæ Generalatum admittere, cui deinceps præfuit admirabili vitæ sanctitate.

1324. 844. Iterùm illustre Deiparæ consurgit monimentum Cellæ Mariae in Boica Cœnobium, Austriacæ Cellæ B. M. V. nomen & honorem indeptum, insigni deinceps eò similiter confluente peregrinorum frequentiâ, Altaichensi nunc Cœnobio subjectum, olim à Cistercien sibus nostris curatum.

Ex

1326. 846. Ex antiqua illa Deiparæ Murbacensi Residentia & aula, dignus tanta Principe Palatinus & Domesticus Septem viris Germaniæ Principibus accensetur Matthias Comes à Bucheck, Moguntinus ex Monacho Archiepiscopus, qui tanta in Cathedra, præter alia digna Pontifice & Monacho facinora, Marianæ disciplinæ egregium edens specimen, cum consilio Medicorum continentiam ipsi obesse affirmantium, Palatim in ejus cubiculum principe formâ puellam occultè intromisissent, puellam quidem blandè à se intactam dimisit, Camerarijs verò succensens gravius, ne quid tale deinceps auderent, quidquid de valetudine fiat sua, graviter interminatus est, satiùs multò & pulchriùs censens Virgineæ Aulæ Domesticum ante ætatem mori, quàm tanti thesauri (Virginitatis) jacturâ emere longævitatem.

1328. 848. Weingarttensi Cœnobio summâ Auctoritate præsidet Conradus Dynasta ab Ibach, Abbas præstantissimus, & alter sui Cœnobij Fundator, Cultor Divinæ Matris ferventissimus, cui ipse magnificum, templi alicujus magnitudine Sacellum, cognatorum, an suis olim sumptibus, priusquam Monachum indueret, in eodem Cœnobio exstrui curavit, cum hoc Mariani cultus insigni Epigrammate: *Conradus ab Ibach: MARIA Beata, hæc tibi sit grata structura.* Matris Sapientiæ dignissimus filius à Synchrono Encomyaste mirificè collaudatus, & Salomoni comparatus, de quo universi qui Cœnobium sive ipsum intuerentur, idem prædicarent, de Cœnobio quidem tanti Abbatis congeminantes illa: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæculum sæculi laudabunt te.*

1330. 850. Incertum quidem cui tempore demus, huic tamen sæculo deberi ominamur vitam B. Nicolai Belgæ, ex sacra familia nostra Cisterciensi Abbatis, cui instar Simeonis ea felicitas obtigit, ut Virginis Filium inter ulnas accipere & fovere mereretur, quem ex itinere speciosissimi puerului formâ ejulantem inter nives reperit, equo descendens sublevavit, collachrimando solatus, omnem amorem & hospitium promisit, & siqui-

Ann. Chr. S.P.N. dem Matrem perdidisset, ipse Patrem induere statuit, donec infans inter brachia eloquens, hæc inter verba (*Quare non ejularem, quod egens, solus, & in frigore sedeo, & non est qui colligat me, & hospitium præstet.*) illicò disparerer, multùm ejulante Nicolao. & perdidisse priùs, quàm nosceret, quiritante, multoque deinceps ferventiùs Dominam, pro filio reconciliando & concedendo interpellante.

Eodem anno Etalense Cœnobium B. M. V. honori per Ludovicum IV. Imperatorem construitur, in quo insignem illam ex alabastro magnæ Virginis Imaginem obtulit, quam ex Italia advexerat, magnâ deinceps habitam in veneratione, additâ Comitatûs Möringensis donatione solemni, qua tantam Dominam Imperator ejus servus, studuit demereri.

1332. 852. Iterùm illustrissimum Cælorum Reginæ statuitur monimentum, ab Archimbaldo nostro Monacho S. Flori, Floropolensium Pontifice, urbis ejusdem insigni B. M. V. conditâ Basilicâ, addito illustri Canonicorum Collegio, qui Dominæ suæ illic deservirent, ejusque filio laudes perpetuò canerent.

1334. 854. Mirabili Dei providentiâ, nec sine miraculo eligitur Pontifex Maximus Benedictus XII. adolescens etiamnum Marianæ familiæ Cisterciensi adscriptus, indè ad Abbatiam ejusdem magnæ Matrisfamilias Fontis frigidi evectus, insignem ubique Virginum Virgini navans operam, & ut majorem navaret, ad Cathedras varias, sacram purpuram, summum denique Pontificatū nolens abreptus, cùm indignatus super eligentiū votis, *Asinū elegistis*, exclamaret, malens in obsequio Dominæ suæ, & Domini ad præsepè scilicet tam beatum, asellum agere, quàm Orbi imperare. Prodidit tamen sapientiâ, Matris Sapientiæ filius, vix adito Pontificatu, & talia aggressus est, qualia dedeinceps mirabitur Orbis universus, eaque inter utrumque amplissimam magnæ Matris familiam Cluniacensem & Cisterciensem immortali cum merito reformavit, eoque nomine tantopere Dominam demeruit, ut Restitutores inter præcipuos Ordinis, maximosq; inter Palatij Mariani Principes habeatur.

Claret

1336. 856. Claret insigni vitæ sanctitate B. Silvester, Marianæ Congregationis nostræ Camaldulensis insigne Sydus, contemplationis studio addictissimus, à lacrymarum imprimis dono commendatus, qui cum Dominæ & Reginæ suæ etiam amantissimus, etsi Idiota esset, & vix latinam calleret linguam, disputator tamen & Orator magnificus, pro Domina sua rem ageret, homo simplicissimus, sagacissimi ingenij Blateronem doctissimis rationibus convicit, qui Divam Catharinam Virginem & Martyrem præ Deipara eligendam fuisse dixerat, si tempore Incarnationis vixisset, quam assertionem esse hæreticam quàm scitissimè probavit Sylvester & demonstravit.

1337. 857. Moritur Guilhelmus de Valcellis beatissimæ Cistercienfium nostrorum Congregationis Generalis, Virginum Virgini summè addictus, ejusque cultûs propagator industrius, cujus ipse Commemorationes, ut sacri vocamus, in horis singulis, tam majoris quàm minoris Officij instituit.

Ipso anno moritur B. Thomas Camaldulensis mirè ad Deiparam à puero affectus, mirificus morbi Caduci & rupturarum curator, aliorumque patrator miraculorum.

1339. 859. Strenuè rem agit pro Deipara hoc anno Benedictus noster Pontifex Max. qui Cruciatam Bullam contra Saracenos Dominæ juratissimos hostes promulgans, Cruce signatos amplissimis benedictionibus obarmans, memorabilem atque imprimis prodigiosam ex hostibus victoriam obtinuit, quadringentis hostium millibus cæsis partim, partim captis, cùm ex parte Christianorum non suprà viginti desiderarentur.

1340. 860. Frigidissimas cæteroquin provincias ignibus Marianis hoc anno calefacit, simulque insigniter Sueciam illustrat B. Gerekinus, Monasterij B. M. V. de Aluastra Monachus, orationis studio ferventissimus, sub quo novem Angelorum Choros quasi continenter intueri meruit, uti & Christum sub Elevatione puerili formâ crebrò conspexit. Is Dominam nostram eximiâ amplexus dilectione, ad ipsam in rebus dubijs familiari admodum confidentiâ, tanquam ad Matrem filius, pro ope &

Ann. Chr. S.P.N. consilio recurrebat. Mirabile illud cùm ab Abbate jussus in pistrino laborare & quid faceret, artis ignarus, nesciens ad oraculum denique suum accurreret, Imaginem namque Virginis depictam in pariete simplicitate penè infantili alloquutus: *Domina mea charissima*, inquit, *Dominus Abbas præcepit, ut cum pistoribus laborem, tu autem scis, me prorsus in ea arte rudem esse; verumtamen juxta voluntatem tuam facere sum paratus, quod mihi suggesseris.* Cui Imago: *Fac quod hucusque feceras, & ego pro te serviam in pistrino.* Abijt ille ad locum consuetum, & orare perrexit: cùm interim visa est alia persona Gerekini Speciem præseferens ministrasse: ipse verò sub idem tempus fixus in oratione depræhensus in Ecclesia. Ut videas quàm conducat ad Matremfamilias recurrere, Domesticis suis adeò præsentem semper, & intendentem.

1342. 862. Mortalitatem exuit beatæ mem. Benedictus noster XII. Divinæ Matris Cultor devotissimus, maximæ ejusdem familiæ ut vidimus, meritissimus Restitutor. Cui non impari ergà eandem devotione succedit Petrus Rogerij Fiscanensis Abbas, Clementis VI. nomine appellatus, Vir doctissimus, ut Religiosissimus, Doctor Doctorum communi nomine à plurimis dictus, qui maximis quamprimùm meritis orbem Christianum demeruit.

1345. 865. Singulare Domesticorum Deiparæ in sacra ejus Camaldulensi familia ornamentum, B. Jacobus Gerius, ad Supera Dominæ suæ Palatia evocatur, Reginæ deinceps Angelorũ à Latere futurus inseparabilis, qui in terris jàm inter Angelos vixerat Angelus, in cujus transitu magni illi Deiparæ Cultores BB. Sylvester & Paula Angelorum solemnem Musicam exaudierunt, & Jacobo triumphum gratulari.

Quo ipso anno Beatus item Gerekinus, de quo paulò ante obijt, turbato statim ab obitu ejus Sueciæ Regno, quod ipso superstite adversi nihil pati poterat.

1346. 866. Floret memorabili exemplorum sanctissimorum varietate sanctissima Deiparentis familia Vallumbrosana, cui hoc anno

Ann. Chr.	S.P.N.	
		no summâ cum potestate præficitur B. Michael Aretinus, qui Dominam suam plurimùm demeretur Angelico vitæ exemplo, commissam sibi congregationem plurimùm accendens, sub quo non pauci eximiâ vitæ sanctitate exsplenduêre.
1348.	868.	Dilectissimus ille Virginum Virgini Cliens, & novæ ejus familiæ Institutor B. Bernardus Tolomæus gaudens & exultans moritur, imò vitam immortalem inchoat, haud sine Martyrij Laureola, ad triumphos Reginæ Martyrum evocatus, ejus Domesticorum religiosissimo amori immortuus, cùm peste infectis Fratribus ipse Generalis inserviens, eâdem lue correptus coronam & præmia accelerasset.
		Quo ipso etiam anno ad eadem regna & Reginam suam gloriosus ascendit B. Sylvester conversus Camaldulensis, pugil egregius magnæ Matris, cujus victoriam jam suprà retulimus, & jam audiemus à beatissima Matre S. Paulæ commendatum. Ab illo cùm soror Germana Monialis S. Margarithæ Florentiæ rogaret, quando tandem Filio Virginis plenè potituri essent, rescripsit: Lætare Soror æterni Sponsi Sponsa, quia tali die (5. Id. Junij) ipsum lætissimi simul visuri sumus, itaque eâdem die obierunt, & illa ab Episcopo impetravit cum fratre in Monasterio Angelorum Florentiæ sepeliri.
1350.	870.	Italiam fulgoribus sanctitatis percellit & excitat beatissima Paula nostra Florentina, Camaldulensi Virginis familiæ adscripta, quæ ab ipsa statim infantia Divinæ se Matri, ejusque Filio totam se consecravit, tantopere affecta ad Dominæ suæ Virgineo ubere Filium lactantis imaginem, ut ægrè ab ista oculos averteret, totos dies noctesque intenta contemplationi. Meruit Paula favorem & gratiam planè incomparabilem, & inæstimabilem, apparente quandoque ipsi Cælorum Regina, cum lactente illo suo longè dulcissimo, à cujus osculo puerili lactis Virginei rorem (ò dulcedinem) degustavit, à quo inebriata, cùm tota in amorem Cælestium exarsisset, Divinam Matrem audivit jubentem, iret ad proximum Angelorum Cœnobium, illicque Sylvestrum Camaldulensem conveniret, qui

Ann. Chr.	S.P.N.	
		viam ipsi salutis sit demonstraturus. Cumque nescire se Monasterium quereretur, stupenda res! illicò in visione illud & Sylvestrum intuita est, specie objectâ quamprimùm disparente.
1351.	871.	Hoc ipso anno Cella illa B. M. V. in Bavaria, de qua superiùs dictum est, quo feliciùs curaretur, lectissimis Cælorum Reginæ Domesticis, familiæ Cistercienſi creditur, & in Prioratum erigitur.
1352.	872.	Moritur famâ atque meritis immortalis Clemens VI. ex Monacho & Abbate Fiscanenſi Pontifex Maximus, is ipse qui Jubilæum plenariæ remissionis, ab anno centesimo ad quinquagesimum reduxit, Divinæ Matris Cultor observantissimus, cujus sui affectûs non potuit, quin argumenta proderet Orbi universo, inter alia sic Dominam suam compellans, sic Ecclesiam sibi commendatam eidem recommendans; Tu es Virgo Regni Cælorum Regni Gloriæ, desiderabilior speciositatis pulchritudine; Virgo admirabilior generositatis celsitudine; Virgo amabilior propinquitatis ligamine. Tu es Virgo felicissima, quæ omnes Angelos atque Sanctos, in merito transcendis. Excellis enim &c. Flectat igitur Te, tua immensa Virtuositas, & singularis humilitas, & Ecclesiam Spiritu sancto congregatam sed undique periculis expositam, tuo præsidio contra omnia adversa defende, & fructifica, &c. Ita Clemens noster, non tam ipse gubernacula Orbis regens, quam manum seque totum tantæ Imperatrici & Gubernatrici permittens.
1353.	873.	Moritur hoc anno Beatæ mem. Gotzvvinus Abbas, loci S. Bernardi in Belgio, egregius Restitutor disciplinæ Marianæ, ob quod ipsum multa perpessus Dominæ suæ egregiâ se probans patientiâ & humilitate, abdicato demùm honore, contemplationis totum se proluens studio, indè ad visionem beatificam & gloriam Reginæ suæ translatus est.
1355.	875.	Deiparæ honorem & cultum insigniter auget & promovet Humiliatorum sacra ipsi & devotissima familia, cujus lectissimis Domesticis Generalis titulo præsidet B. Tiberius de Parma

cogno-

Ann. Chr. | S. P. N. cognominatus, Vir egregiâ vitæ sanctitate, & insignibus meritis conspicuus.

1356. 876. Olivetanæ & Grandimontensis Congregationum nostrarum, Virginum Virgini præcipuè dicatarum & dilectarum magni progressus celebrantur, nunquam non efflorescentibus indè, qui rarioribus vel à Domina favoribus honorarentur, vel ipsam singularibus demereri obsequijs allaborarent.

1358. 878. Admirabili sanctitate universam illustrat Ecclesiam B. Brigitta Vidua, Brigittini ab ipsa cognominati Ordinis Institutrix meritissima, quæ etsi Divi Patris nostri Regulam amplexa non sit, multò tamen nomine eidem obstricta fuit, eo imprimis, quo suam ipsa Regulam seu Instituta nostris debuit, quæ nimirùm eidē B. Petrus noster Prior Cœnobij B. M. V. de Aluastra præscripsit, eoque nomine & Brigittam, & Cæli Reginā Brigittæ familiarissimam æternùm demeruit.

1361. 881. Mirabile prorsus & continuum nostrorum in propagando cultu & honore Benedictæ Matris & Virginis studium, ut nulla planè Deiparæ sacra Religiosorum uspiam familia reperiatur, quam non vel ipsi instituerint, seu à quocunque institutam, foverint, accenderint, promoverintque. Ita & lectissimam Servorum B. M. V. Ordinem, omni studio & amore coluerunt, diversi è nostris Præsulibus & Episcopis, è quibus Androinus noster à Rupe, Marianæ familiæ Cluniacensis Generalis, S. R. E. Cardinalis, Protector ejusdem Ordinis electus, Servorum Dominæ suæ servus humillimus, creditæ sibi familiæ rationes diligentissimè promovit, aliaque inter merita candidissimæ Matris sobolem purpurâ sacra convestiens, in Titulo Cardinalatûs sui Servorum Deiparæ Collegium collegit, & præfecturam instituit, sed & in habitu Servorum eorundem, & ipsis consepeliri voluit, nihilominùs posteà Cluniacensibus suis redditus, & propè maximos Reginæ Cælorum Palatinos, Hugonem, Odonem, Majolum, & Odilonem conditus.

1363. 883. Augusta nostra Cellensis in Austria, eadem vera ut Cæli, sic

terræ,

Ann. Chr. | S.P.N

terræ, & suæ imprimis Ungariæ Regina, Vicarium suum, Regem Ludovicum primum à Turcis jam jam opprimendum, invocata respicit, adestque virtute suâ, ita impari omninò militum numero octuaginta millium exercitum fugat, vincit, ac funditus prosternit. Visa ante prælium per quietem Regi, movere in hostem jubens, victoriam pollicita certo promissi argumento, imagine Marianâ, quam circumferre Rex solitus erat, in pectore dormientis depositâ, quam evigilans reperit, animato talibus promissis exercitu, tantam ipse victoriam retulit, & relatæ gratias cui debebat, adscribens Cellam contendit, ensem fortunatum cum Coronâ ex argento auroque pretiosisque alijs muneribus, nec non imagine illâ suo in pectore depositâ, obtulit, Basilicamque Virginis secto ex lapide, eâ qua hodie visitur magnificentiâ, à fundamentis exstruxit.

1365. 885. Memorabili merito Romanam Ecclesiam demeretur hoc anno B. Urbanus noster, eo nomine quintus, Pont. Max. Pontificiæ Majestatis præsentiâ Romæ tanto post redditâ, quæ tam diu apud Gallos exulaverat, idem hoc ipsum suo ergà Deiparam singularissimo studio non solùm meruisse visus, sed ut insolenti planè felicitate, eodem ferè tempore, & Occidentis & Orientis Imperatores, ipsum honorarent, & hoc ipso quidem in urbem ingressu *stratoris officium* ipsi Carolus IV. Imp. exhiberet, nec multò post eodem Joannes Paleologus Constantinopolitanus Imp. occurreret, ipsumque veneratus, Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, Romanumque Pontificem, summum gregis Dominici Pastorem, caput, & Magistrum esse profiteretur. Sed de Urbani ergà Dominam studio, suo loco.

1366. 886. Divinam Matrem plurimùm demeretur, & honorat in sacra ejus Sylvestrina familia Petrus Bertrandus noster S. R. E. Cardinalis; Domesticis illis magnæ Matris addictissimus, quod singulari vitæ sanctimoniâ Tutelaris suæ honorem tueri conspiceret, quibus cum corpore suo omnia sua obtulit, & testamento legavit.

Moritur

1367. 887. Moritur denique feliciſſimus ille B. M. V. Cliens, B. Ero Armentariæ Abbas, qui contemplationis dulcedine, ad illa Reginæ ſuæ gaudia abreptus, ducentis omninò annis ſomno dilectorum quieverat, domeſticornm denique magnæ Matris familias utilitati reſtitutus, donec duraturo ad finem ſæculi ſomno hoc rurſum anno conquieſceret.

1368. 888. Magno Cælitum, & Cæli imprimis Reginæ plauſu excipitur ſoluta vinculis corporeis beatiſſima Paula noſtra Camaldulenſis, illa à rore defluentis ab oſculo verbi infantis, & ſucco lactis Virginei ebria, ab ipſa Domina Camaldulenſibus ſuis adlecta, quæ cùm Zelo prædicationis tota ferveret, magnum peccatorum numerum è cæno vitiorum extraxit, Dominæque ſuæ & Filio ejuſdem lucrata eſt. De qua uberiùs agimus libro noſtro Ephemeridum Marianarum.

1370. 890. Ad ſuperna emigrat beatæ mem. Urbanus V. Pont. Max. multo nomine de Domina noſtra meritiſſimus, cujus memoriæ condita plurima & illuſtriſſima monimenta, etiamnum Urbani cultum Marianum cùm Italiæ tum Galliæ ſatis atteſtantur: Mimatenſis imprimis B. M. V. Baſilica Cathedralis, quàm ſuis ipſe ſumptibus inſtauravit, vaſaque ex auro & argento puriſſimo, auratas veſtes, & omnis generis inſtrumenta Eccleſiaſtica Dominæ ſuæ obtulit. Queſacenſe dein Canonicorum Collegium, quod ipſe item inſtituit, & honori Cælorum Reginæ dicavit. Nobiliſſima item Cælorum Auguſtæ Baſilica quam in monte Peſſulano de novo fundavit, conſtruxit, & dotavit. Ut nihil dicamus de honore Dominæ longè lateque promoto, & lectiſſimis ejuſdem familijs, Olivetana, Brigittina, Jeſuatorũ, & Hieronymianorũ confirmatis, alijſq; viri grandiſſimis meritis. Idem quodlibet Sabbathum totius anni aquâ ſolùm & pane toleravit. Qui idem capillum beatiſſimæ Virginis ſummos inter theſauros habuit verè *in uno crine colli* Sponſæ, cum Sponſo illo Virginum *vulneratus*, captus, tractus, quem illuſtribus prodigijs Virginis Filius honoravit.

1373. 893. Demeretur inſigniter magnam Ordinis Prædicatorum Ma-

Ann. Chr. | S.P.N. |
tremfamilias antiquâ nostrorum consuetudine Petrus de Stamno ex Monacho S. Flori Archiepiscopus Bituricensis S. R. E. Cardinalis Ostiensis & Veliternus, Italiæ Legatus, insigni condito ejus Ordinis Cœnobio, quod usque hodie ejus amorem immortalem esse attestatur.

1375. 895 Dum nostra Cælestinorum addictissima Reginæ Cælitum familia impensiùs coleret Festum B. M. V. Præsentatæ, dignos honore honorantes existimans, atque una cum honorantibus tantam Dominam honorans hoc anno Philippus de Maserijs Regni Cypri Cancellarius insigne eidem Cælestinis Patribus in urbe Metensi, sub titulo Præsentationis condit Monasterium, piumque eorum studium præclarè exstimulat.

1378. 898. Iterùm insignem Deiparæ familiam instruit Artalus Mistretæ Comes, Monasterium B. M. V. de Nova Luce propè Catanam, nostri Ordinis Coloniâ inductâ egregiè instituens, ornans, & novâ velut illatâ luce provinciæ consulens.

Moritur eodem anno B. Petrus de Aluastra noster, alter Brigittini Ordinis Institutor, utpotè qui Divinâ admonitus inspiratione, S. Brigittæ vitam scripserit, ejusque Ordinis Regulas composuerit, & Divini insuper Officij formulas dictaverit vir revera magnus, revelationumque & miraculorum gloriâ à Deo commendatus.

1380. 900. Invisæ Cælitibus Cælitumque Reginæ Wicleffi Hæresi Angliam pervadenti, strenuè se opponunt fortissimi Virginum Virginis pugiles Simeon de Langham noster Archiepiscopus Cantuariensis, Utredus Bolton Dunelmensis, & Guilielmus Bingham Nordovicensis Monachi, anguinam sobolem facilè in ipso, quod ajunt, ovo extincturi, nisi procerum nonnullorum in Clerum invidia obstitisset.

1383. 903. Iterùm alij à nostris contra Wicleffum insurgunt, Joannes Radinghal, Henricus Woodhil, Joannes Wellius, qui honorem Dominæ suæ ejusque Filij, nec non S. R. Ecclesiæ insigni magnanimitate tuentur, de quibus prolixiùs agimus in nostris Annal. Bened.

Mel-

1385. 905. Mellifluus Doctor noster Bernardus Cælo evocatus, Lusitanorum Regi Joanni prodigiosè adest, hostesque Regni debellat, quam agnoscens gratiam Rex optimus, Bernardum in dilectissima Regina & Lactatrice sua honorans, quinta post victoriam die Alcobatiam in celebre illud B. M. V. Cœnobium delatus, magnis muneribus Dominam nostram, & lactentem ejus Bernardum coluit. Ubi *publicè pro Corona Regni sui juravit, sensisse se miram Divini Auxilij præsentiam, dum in maximo periculo positus Divi Patris nostri Bernardi nomen & auxilium imploraret, & juxta tentorium Regis Castellanorum, vidisse brachium erectum in aere cum rubro paludamento.*

Eodem anno nascitur decus illud Romanæ Nobilitatis S. Francisca nostra de Buxo, cognomento Romana, Deiparæ ab ipsa infantia addicta, adeò jam tunc castitatis & puritatis Virgineæ amans, ut à nemine prorsus contingi se vel leviter sineret, quàm à parentibus solis, neque ab ipsis quidem, nisi fascijs probè obvoluta, uberrimis lacrymis, & quibus poterat signis obnixa, donec tegeretur.

1388. 908. Toto ferè deficiente Orbe, & varijs Hæresum Lernis undiq; emergentibus, fervorem suum exerunt diversissimæ Ordinis nostri Congregationes, illæ imprimis, quæ peculiarius Deiparæ sacræ & addictæ, tantæ Matris gratiâ sub hoc ipsum tempus mirè servatæ, & novis conatibus in novum ac primævum fervorem exsuscitatæ sunt, è quibus Montis Virginis, Humiliatorum, & Camaldulensium lectissimæ familiæ, Cælo sese maximis meritis commendant.

1390. 910. Deficientibus ab Orbe Sanctis, mirabile omninò, è peculiaribus Divinæ Matris ædibus, semper scintillas sese, necdum extincti omninò fervoris prodidisse, nec potuit extingui fervor dum in Divinam Matrem devotio, & religio aliqua superesset, qualis in Jacobo de Flagniaco celebratur, Cisterciensium nostrorum Abbati & Generali, qui Dominæ suæ cujus ipse Vicarium familiæ longè amplissimæ agebat, devotus admodum,

Ann. Chr. | S.P.N. | digno sanè elogio, etiam exemplar devotionis, formâ Religionis appellatur.

1392. 912. S. Aichardus noster, Divinæ Matris Cultor singularis, etsi jam tanto ante cælis receptus, terris tamen & patriæ invigilare se & favere, magno miraculo, invocatus à Galliarum Rege Carolo, demonstravit, cùm hunc, sceleribus priora meritum dolente tamen, & luente simul Regno in amentiam versum, usu rationis subindè reddito, sese suppliciter interpellantem, prodigiosè juvit, & sanæ menti reddidit.

1393. 913. Obligata tantis nostrorum de Ordine Patrum Prædicatorum sibi gratissimo meritis, Cæli Regina, cùm hoc ipso tempore in illa sua familia haberet S. Vincentium Ferrerium admirandæ omninò sanctitatis Domesticum, partita quasi suum cum nostris bonum, imò nostris impertita est, cognominem Vincentium, Ferrerium item, Sancti illius dilectissimum & consanguineum, quem alteriùs famâ & exemplo ambigere non licet, passu si minùs pari, haud multò tamen dispari, in odorem unguentorum Dominæ suæ cucurrisse, qui hoc ipso tempore felicissimam Deiparæ familiam Populetanam gubernavit.

3195. 915. Infirma mundi deligens Deus, ut confundat fortia, Ordinem illum sacrarum Deiparæ Amazonum Fontis Everardi, effæminatissimo sæculo confundendo gratiâ suâ, pro honore Matris Virginis insigniter obarmat, tanto rigore de seipsis & carne triumphantibus tenerrimis Virgunculis, ut de rigore illo mitigando Romani deinceps Pontifices necessariò cogitaverint: hoc ipso anno tam rigidæ vitæ Magistratum admittere jussa Blanca de Harcour Regis Galliarum Consanguinea, quæ novem & triginta annis exemplar facta reliquis, Regium sanguinem, triumpho ejusmodi magis quàm Reges cognati ensē & Majestatis ostensione, illustravit.

1396. 916. Sanctissima illa Francisca vulgò Romna, undecim annos nata, ut erat Virginis Virginum ab infantia studiosa admodum, & piè æmula, dum Virginitatem fovere omninò statuisset,

Ann. Chr. | S.P.N.

ſet, diſponente ſic aliter Numine, ut per ætatem ſui needum juris, à parentibus impeditur, uti Virginibus primâ ætate exemplar, ſic & poſterâ Conjugibus, tum Viduis, denique Religioſis omnibus in omni virtutum genere pro ſpeculo exhibenda.

1397. 917. Moritur hoc anno Adam Eſtonius, ex Epiſcopo Londonienſi S. R. E. Cardinalis, vir eximiâ vitæ innocentiâ, & admirandâ eruditione clariſſimus, cujus alia inter longè illuſtriſſimum meritum, & æternum in Eccleſia monimentum fuit, Officium Feſti Viſitationis B. M. V. ab ipſo compoſitum, & à Bonifacio Papa confirmatum.

1400. 920. Sacra imprimis Deiparæ Ciſtercienſium noſtrorum familia, juratis Dominæ ſuæ hoſtibus Hæreticis ſeſe in Bohemia opponit, & ob hoc ipſum varia Cœnobia bonorum ſuorum omnium jacturam faciunt, plurimis deinceps Marianis pugilibus fidem ſuam Imperatrici ſuæ ſuo ſanguine conſignantibus.

1403. 923. Simon Southrajus, Wicleffiſtarum malleus, rem fortitèr agit contra Dominæ & Filii ejus hoſtes, contra quos non verbis ſolùm, ſed & ſcriptis egregiâ eruditione libris depugnans de Eccleſia optimè meretur.

1406. 926. Inter illuſtriſſima Ordinis noſtri Sydera admirando ſanè ſplendore exſplendeſcit, Angelus noſter Corarius, eruditione nec non generis dignitate, ſed eximiâ ſuper omnia vitæ ſanctitate celebratiſſimus, hoc ipſo anno ad ſummum Orbis Pontificatum evectus, nil priùs curans, quàm ſacris celebratis Conventibus Wicleffi aliaſque Hæreſes, Cælitum ac Cæli Reginæ honori ſacrilegè detrahentes quàm maturrimè opprimere, ſuamque & fidem & induſtriam Cælo probare.

1409. 929. Iterùm nova Benedictæ Matris familia memorabili per Italiam fructu conſurgit, Congregatio, quàm à loco quo primùm orta eſt, S. Juſtinæ deinceps dixêre, amantiſſimo magnæ Matris, Ven. & ſanctæ memoriæ Ludovico Barbo inſtituente, de quo haud vanè ominamur, ità omninò uti Patriar-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		cham nostrum sanctissimum, eo ipso tam egregiæ institutionis authorem esse meruisse, quod Dominam suam tam devoto semper studio coluerit, quam omnium Ordinis reformationum Promotricem præcipuam agnoscimus, & veneramur.
1410.	930.	Gurellus Aurilius primariæ nobilitatis Vir, apud Neapolitanos, Deiparâ ipsâ jubente non sine miraculo sacræ familiæ nostræ Olivetanæ splendidum eâ in urbe condit Monasterium.
1411.	931.	Sanctissima Ordinis nostri familia, dictâ Humiliatorum, Dominæ nostræ peculiariùs sacra & devota, primævo fervore effervescit, concitante imprimis beatæ mem. Lucâ Mazolo Ordinis Generali, quem superioribus annis statim ab inito Pontificatu Gregorius noster XII. S. R. E. Cardinalem creavit.
1412.	932.	Ven. Laurentius de Perusio Generalis Congregationis Olivetanæ factus, dum turrim Monasterij molitur, Fratribus strenuè collaborantibus, uno ex alto præcipitante, ipse in genua ruens, & altùm inclamans: Gloriosa Virgo MARIA miserum excipe, & mox surgens ut funeri adesset, vivum stantem, incolumem & inoffensum inter Fratres reperit, inque laudes & gratiarum actiones erumpit.
1413.	933.	Conjugalis vitæ exemplar absolutissimum S. Francisca Romana non aliter atque sacram in Cœnobio obedientiam marito exhibuit, cujus Odedientiam Deipara prodigiosè probare visa est, cùm pro suo ergà hanc affectu, Francisca ejus quotidie Officium recitare nunquam prætermitteret, & sæpiùs subindè inter orandum à Marito interpellata, in uno ejusdem Officij versu ter quaterque abrumperet, & vocanti adesset, insigni cùm revertisset miraculo recreata, versus nimirùm illius litteris manu cælesti auro scriptis, ut facilè cogites quanto deinceps animi sensu Officium illud aureum Dominæ ab eadem recitatum.
1415.	935.	Verè de Domina nostra sancta Mater Ecclesia: *Cunctas Hæreses sola interemisti in universo mundo*, neque enim ulla uspiam hæresis emersit, quin sacri semper è familia ejus pugiles in Hæresiarcharum colla consurrexerint, fauces eliserint, qualis hoc

anno

Ann. Chr. S.P.N. anno Matthæus Aulæ Regiæ in Bohemia Monachus fuit, qui cum Joanne Huss Pragensi sæpè congressus, sæpè errores ejus confutavit, sceleratum triumphavit.

1416. 936. Meritissimus de Domina nostra Joannes de Martiniaco, Marianæ Cisterciensis familiæ Generalis, cum maximâ authoritate, pro toto Ordine in Concilio Constantiensi compareret, à Patribus unà cum duobus Cardinalibus & uno Episcopo, examinandæ Wicleffi & Huss doctrinæ, plenâ cum potestate præfectus est.

1417. 937. Moritur non sine opinione sanctitatis Gregorius noster XII. Pont. Max. Mariani honoris Zelator insignis, cum memorabili demissionis exemplo, verè servus Servorum DEI, ut Ecclesiæ utilitatibus verè serviret, summum à se Magistratum abdicasset, quo faciliùs fœdissimnm illud Schisma tolleretur.

1419. 939. Claret scriptis celeber Antonius Parmensis Abbas Vangaditiæ è sacra illa DEI Genitricis Camaldulensium nostrorum familiâ, Ferrariensis demùm Episcopus creatus, qui alia inter egregij ingenij monimenta, Benedictini Spiritûs insigne edens specimem sermones aliquot de Domina nostra posteritati reliquit.

1420. 940. Candidissima magnæ Matris & Virginis Cisterciensis familia, sed & Cluniacensis cùm per Poloniam tum per Bohemiam contra hostes Dominæ suæ plurimùm laborans, laborem & fidelitatem sacri sanguinis purpurâ consignat, totis passim Cœnobijs flammâ & ferro exhaustis.

1421. 941. Obijt Ven. Matthæus Prior Monasterij SS. Angelorum Florentiæ, Cultor B. M. V. singularis, nunquam tristis visus, in morte lætissimus, cujus exanime corpus, omni vitro purius, eâ qua migraverat vultûs serenitate perseverante, insignibus futuræ gloriæ signis enituit.

1422. 942. Deiparam insigniter demeretur paulò ante laudatus Joannes de Martiniaco, Abbas & Generalis Cisterciensis, qui ut tantæ Reginæ familiam tyrannide liberaret, commendatariosque, ut vocant, Abbates, ab hæreditate Sanctorum averteret, tri-

ennа-

Ann. Chr. S.P.N. ennales deinceps institui impetravit, simulque Ordinem strenuè reformavit.

1425. 945. Iterùm novam Cælorum Imperatrici Palatinorum familiam instruit Ven. Pater noster Martinus de Vargas, Congregatione sanctissimâ Montis Syon erectâ, & per Hispanias memorabili cum fructu propagatâ, qui ut erat Virginum Virginis amantissimus, ut singularem ejusdem amorem suis commendaret, cingulum ijsdem laneum candidumque assignavit, in memoriam nimirùm rari ejus favoris, quo S. Stephanum Cistercij olim Abbatem eadem maxima Ordinis Tutelaris & Domina nostra, cingulo ejusmodi proprijs manibus dignata est cingere, eo juxta Virgineæ puritatis studium illis commendando.

1426. 946. Insigne rursus Divinæ Matri apud nostros Monimentum Cella MARIAE in Boica erigitur, hoc primum anno Abbatialem ad dignitatem evecta.

1428. 948. Strenuus ille Ordinis Reformator Generalis Cisterciensium nostrorum Joannes de Martiniaco extinguitur, sub quo ingens numerus egregiorum Deiparæ pugilum claruit, qui cultum Deiparæ & Sanctorum contra Novatores scriptis propugnantes, ab atramento ad sanguinem devenêre, aureis ipsi inscripti litteris in libro vitæ, laureolâ Martyrij à Rege & Regina Martyrum coronati.

1429. 949. Moritur hoc anno Ven. Joannes Gerson Cancellarius quondam Parisiensis, lectissimæ Marianæ familiæ nostræ Cælestinæ adscriptus, Vir maximus, maximæ Virginum mirificè devotus, cujus laudibus nunquam exsatiari potuit, & adeò ferventer scripsit, ut totum usque hodie Orbem Marianis inflammare amoribus non desistat, in commendatione maximè ejus misericordiæ peccatores universos ad sinum ejus alliciens, de qua inter alia: Principatum habet (B. M. V.) dimidij Regni DEI, si sic dici potest, sub typo Hester & Asueri, Regnum quippè DEI consistit in potestate & misericordia: semel loquutus est DEUS, duo hæc audivi, quia potestas DEI est, & tibi Domi-

Ann. Chr. | S.P.N.

Dominæ misericordia, Potestate Domino remanente, cessit, quodammodò misericordiæ pars Christi Matri Sponsæque regnanti. Hinc ab Ecclesia tota Regina misericordiæ salutatur, &c. Sed Gersonem qui legat, nunquam qui Dominam amat, illius lectione saturetur.

Ipso anno sanctitatis radijs Orbi se prodit S. Franciscus de Paula, Ordinis Minimorum Institutor, Dominæ nostræ imprimis devotus, cujus etiam nomini institutum Ordinis sui sacrum esse voluit, & JESU ac MARIAE ipse appellavit, cujus conatibus suo more Benedictini plurimùm collaborantes, eo ipso Dominam suam insigniter demeruerunt; quem juvenem etiamnùm suscipientes Casinates nostri, fervorem spiritûs ipsius magnâ curâ aluerunt, sub quorum Magisterio, cùm quatuor ferè annis sese exercuisset, tum primùm Ordinis sui fundamenta jecit, cui in condendis Legibus Ven. P. Franciscus Binet noster, Prior S. Mamertini insignem operam navavit, ut alter pænè ejusdem Regulæ Conditor habeatur.

1431. 951. Iterùm novo fervore efflorescit sanctissima illa Virginum Virginis Congregatio nostra Camaldulensis, demerente insigniter Dominam, ejusdem Ordinis ad primævum fervorem concitatione, Beato Ambrosio à Porticu, qui hoc ipso anno Ordinis electus est Generalis, non minùs sanctitate quàm eruditione admirandus, Græcæ linguæ scientiâ alter sui sæculi habitus Homerus, cæterùm Verbi & Scriptorum dulcedine plùs quàm melleâ alter Ambrosius.

1433. 953. Admirandâ vitæ sanctitate sese Dominæ nostræ commendat Ven. P. Martinus de Logronno, primus reformatissimi illius Monasterij B. M. V. Montis Syon Prior, è potissimis celeberrimæ illius Reformationis Authoribus, ab eximijs meritis commendatissimus.

1435. 955. Claret admirabili vitæ sanctitate B. Ferdinandus Princeps Portugalliæ, Joannis Regis filius, Ordinis S. P. N. de Auis Magister Generalis, sacræ Cisterciensis Marianæ familiæ Domesticus amantissimus Divinæ Matris, cujus in honorem

Ann. Chr.	S. P. N.	
		Sabbathum omne ejusque Festorum Vigilias, solo in pane & aqua jejunavit, qui sub hoc ipsum tempus prælia Dominæ suæ aggressus, juratissimos ejus hostes Saracenos debellandos suscepit, suo etiam sanguine, si ita nomini visum, fidem ac fidelitatem suam heroicè consignaturus.
1436.	956.	Familiam magnæ Matris Cistercienſem plurimùm ornant Joannes eo nomine VII. totius Ordinis Generalis, nec non Thomas Dundrenensis, & Joannes Gelhusius, Maulbrunnensis, Abbates, non minima pars, si merita spectes, Concilij Basileensis, quorum primus ille Orator ad Bohemos, & cum duobus Episcopis deputatus Judex in causa fidei, medius autem, unus & quidem primus fuit ex triginta duobus, in quos idem Concilium compromisit, tertius autem specialissimè evocatus à Patribus est, eo quod ipso propter dexteritatem ingenij & Regionum ac rerum experientiam multùm egerent ad Concilij Legationes, ut videas denuò, quantùm hi vel soli quidem præstiterint in hostibus Deiparæ Wiccleffi & Hussij extinguendis assectis, optimè de pessimè meritis meritus, cùm tantam jam stragem Domesticorum Dominæ edidissent Bohemi, Joannis Generalis filiorum.
1437.	957.	Efflorescit summopere S. Franciscæ Romanæ operâ nova Virginum Marianarum Congregatio de Monte Oliveti, quam ipsa ad honorem Virginum Virginis condidit, cùm adhuc Conjugij vinculis alligata esset, Marito autem vidua, mirâ quadam solemnitate Dominæ suæ in eadem familia sese emancupans, fune ad collum alligato, nudis pedibus eodem convolans, humi prostrata, multis cum lacrymis suscipi rogavit, quàm deinceps Deipara quàm gratam haberet, memorabili favore comprobavit, cùm visa ipsi aliquando Velo aureo ipsam cooperire, hoc insuper promptè admisit, ut Francisca in gremium illud misericordiæ & gratiæ caput insereret.
		Moritur eodem anno Ven. Hieron. Miraballus Generalis S. Congregationis B. M. V. Olivetanæ Cultor Matris Virginis longè devotissimus, sibi rigidissimus, diem dormitionis & ho-

ram

Ann. Chr. S.P.N. ram disertè suis prædicens: Hodie, ait, horâ Vespertinâ erit mihi beata requies, ita Sacris munitus, inter exhortationis verba feliciter exspiravit.

1439. 959. De Aldegundis ergà Deiparam studio pridem diximus suo loco, hoc autem anno ipsa singularius in terris honorari meruit, cælos olim tantopere demerita, suo ergà Dominam cultu & obsequio, solemni nunc ritu elevata & translata.

1440. 960. Supremus hic annus S. Franciscæ nostræ Romanæ, quæ uti sanè vitam omnem in servitio Cælorum Augustæ sanctissimè traduxit, ita & mortem felicissimè obijt, cùm supremis proxima pressis labijs quidpiam submurmurans, rogata à Confessario quidnam diceret? *Iam jamq; animam emissuram Deiparæ Vespertinas preces se persolvere*, respondit. Quibus oppido absolutis, dormienti similis, nullo cujusquam doloris indicio, occlusis oculis in Domino requievit. Quod idem Officium olim cùm recitaret, imbre subitùm effuso, ipsa in vinea persistens, intacta ab aquis nec in pilo quidem immaduit.

1441. 961. Moritur B. Robertus Salentinus æternum familiæ Marianæ Cælestinæ decus, admirabilis Matris à puero studiosissimus, quam puerulus etiamnùm præcipuè adamare didicit, Matremque suam Benevenutam cum eadem familiariter colloqui audijt, nactus posteà Magistrum Petrum de Morono, qui puer item Magistram Deiparam cum Joanne Evangelista habuerat. Fuit idem Tutelari Virginis Gabrieli Archangelo addictissimus & commendatissimus, Tutelarem reverà cum suis expertus, cùm serenissimo quandoque cælo grandem prævidens & prædicens tempestatem, per Archangelum Gabrielem, se suosque juxta tuendos servandosque prænunciaret. Promovit idem strenuè Cælestinam magnæ Matris familiam, multoque nomine Dominam suam demeruit, cujus devotissimi cultus extat alia inter egregium in Gargano monte monimentum, Xenodochium Angelorum Reginæ & S. Michaëlis honori & nomini nuncupatum, in usum perpetuum peregrinorum quibus æterno item solatio fontem illic miraculorum impetravit.

1443. 963. Supremus hic annus B. Ferdinando Joannis Regis Lusitaniæ filio, sacræ Congregationis nostræ Cisterciensis Alumno, militiæ de Auis Generali Magistro, quem sibi devotissimum Cæli Regina in ipsis etiam carceribus invisere, non est dedignata, caram qua procidens S. Michaël Archangelus: *Ora Domina*, inquit, *ut servum tuum, Tibi mihiq; semper impensè deditum, tot malis exuas, & copijs nostris adjungas.* Quæ ejus verba excipiens Evangelista Joannes: *Ne tuum hunc asseclam*, inquit, *Mater & Domina pluribus damnis atteri patiaris, jam ad convivium nuptiarum Agni invitetur, quando nullis unquàm sordibus vestimenta inquinavit*, Innuit blandissimo vultu intuita Ferdinandum suum misericordissima Mater, eaque ipsâ die Cælitibus adjungendum spospondit. Cujus à morte sacrum Corpus pluribus prodigijs honoratum est.

1445. 965. Ad præmia æternitatis evocatur hoc anno B. Joannes Bassandus, eo imprimis nomine de augustissima Cælorum Imperatrice meritissimus, quod sacram eius familiam Cælestinam (cujus Provincialis quinquies electus fuit) per Italiam, Galliam, Angliam atque Hispaniam mirificè propagârit & primævo flori ac fervori reddiderit, raris & admirandis à Numine miraculis commendatus, quæ inter mortuum triduanum ad vitam revocavit.

Vitam claudit eodem anno Nicolaus noster Panormitanus, *Lucerna Iuris*, vulgò appellatus, ex Abbate Archiepiscopus Panormi, & S. R. E. Cardinalis, Divinæ Matris amantissimus, cui & commentaria sua dedicavit, relictis ingenij præstantissimi monimentis etiam in terris immortalis.

1448. 968. E familia S. Augustini Domesticis Deiparæ Cisterciensibus nostris adscriptus B. Eustachius Jardineti Abbas, Dominæ suæ cultum latè promovet, eamque sibi immortaliter obstringit, cùm perditissimo hoc tempore dilectissimam ipsi familiam novis ignibus accenderet, & plurima passim Cœnobia reformaret.

1450. 970. Vergente in præcipitium mundo, iterùm nova immortali

cum

Ann. Chr. | S.P.N.

cum fructu & merito consurgit sub magnæ Matris auspicijs Ordinis nostri Congregatio, dicta à Cœnobio, in quo initium sumpserat Bursfeldensis, cui deinceps præcipua ferè Germaniæ Cœnobia adjuncta sunt.

1453. 973. Sacram Deiparæ Dunensem Eremum ornat peregregius ejus cultor B. Petrus cognomento Sijs, ejusdem loci Prior electus, cujus ergà Cælorum Reginam studium Dunensium monimentis plurimùm celebratur, neque minùs in morte, ut suo loco videbimus, quàm in vita comprobatur.

1456. 976. In Cælos evolat B. Nicolaus noster, Prior Cœnobij S. Nicolai Genuæ, Divinæ Matris studio ferventissimus, ejusdemque humilitatis strenuus æmulator, qui cùm triennium totum apud Patres laboraret, ut se Prioratûs munere absolverent, nec impetraret, ad Matrem conversus misericordiæ, ejusque Filium, quibus undecim millia eundem in finem Pater & Ave obtulit, ijsque recitatis miraculosè absolutus est. Deiparæ deinceps se multò obstrictiorem agnoscens.

1458. 978. Insigniter demeretur Dominam nostram Guido eo nomine IV. Generalis lectissimæ ejus familiæ Cisterciensis, hoc ipso anno post Joannem de Vion electus, qui pro Ordine Tyrannide Commendatariorum liberando plurimùm laboravit.

Eodem anno insignis Marianæ familiæ Camaldulensis domesticus B. Angelus de Massacio, dum pro concione sæpiùs Deiparæ hostes Hæreticos lucrari conatur, odium pro amore incurrens, ab ijsdem crudeliter interimitur.

1460. 980. Moritur Henricus Princeps Lusitaniæ Joannis I. eo nomine Regis filius, qui beatissimæ Virgini sub sacra Cisterciensium nostrorum Congregatione & Ordine Equitum de Christo adscriptus, ejusdem sacræ Militiæ Generalis, multas de hostibus Dominæ suæ Saracenis & memorabiles victorias retulit, & Divino ut scribunt monitu sceptra Mauris eripuit, multisque egregijs titulis gloriosus, Virginitate ad obitum usque intaminatissimè servatâ, sanctitatis celeber famâ ad triumphos æternos abijt.

Ann. Chr.	S.P.N.	
1461.	981.	Valedicit mortalibus meritissimus ille de Cæli Regina ejusque sacra Cisterciensi familia B. Joannes cognomento Eustachius, primus Jardineti Abbas, strenuus Cœnobiorum per Belgium Reformator, magnis virtutibus & Prophetiæ Spiritu clarus.
1463.	983.	Claret inter præcipua Ordinis decora Himbertus de Lona Marianæ Cisterciensis familiæ nostræ Generalis Zelator Ordinis insignis, Dominæ nostræ amantissimus, qui altero hoc ab electione sua anno suæ ergà Dominam Matrem devotionis insigni edito specimine, suavissimam illam de Domina Antiphonam *Salve Regina* in universis amplissimi Ordinis Ecclesijs post Completorium solemniter cantari instituit & præcepit.
1464.	984.	Felicibus progressibus sub Divinæ Matris auspicijs efflorescit sacra Congregatio nostra Bursfeldensis, primo nunc Capitulo Generali celebrato, à quo magnus in Ordinem fructus redundavit.
1465.	985.	Memorabili mortis tripudio defungitur hoc anno B. Petrus noster Dunensis Cœnobij Monachus, qui cùm Virginum Virgini multis annis devotissimè servijsset, de morte imminente divinitùs edoctus, de transitu suo Fratres edocens, petito sumptoque in manus cereo, suavissimâ voce & hilari vultu in laudes Dominæ suæ, ad quam toto anhelabat corde, erumpens Antiphonam ejusdem: *O intemerata &c.* cantare incipiens, inter cantandum mortuus, Angelicis Angelorum Reginæ Choris sociatus est.
1466.	986.	Sequitur hoc proximo anno Petrum Dunensem alius Petrus, Salisburgensis nimirùm S. Petri Monachus & Abbas, Monasticæ disciplinæ rigidus observator, cultui beatissimæ Matris ac Virginis die noctuque deditus, qui magno sanè titulo ejusdem communi nomine *Capellanus* appellatus est. Cùm triginta annis felicissimo illi Cœnobio præfuisset, nunc ad præmia præstiti servitij evocatus.
1468.	983.	Transfertur hoc anno solemni elevatione Corpus B. Ray-

mundi

Ann. Chr. | S.P.N.

mundi nostri, primi Abbatis Fiterensis, de Domina nostra meritissimi, qui ejusdem honori celeberrimum illum Ordinem Militum nostrorum de Calatrava instituit. Facta est hæc translatio auctoritate Pauli II. Pontificis Maximi tertio Nonas Martij.

1469. 989. Mortalibus valedicit Ven. Abbas noster Joannes ab Hagen, qui æternâ sui nominis & cultûs Mariani memoriâ sub magnæ Matris & Virginis auspicijs, celeberrimam illam & postremam Ordinis Reformationem Bursfeldensem instituit, cujus ipse electus Præses Generalis, cùm eidem sanctè atque utiliter præstitisset immortalium meritorum copiâ locuples, mortalitatem exuit, induit immortalitatem.

1470. 990. E Monasterio B. Virginis Sithivensi, aliàs Bertiniensi insigniter exsplendescit Joannes ejusdem loci Abbas, qui ne ullus uspiam Ordo esset, quem nostri non demererentur, etiam aureum illum B. M. V. & S. Andreæ *Velleris aurei* Equitum demerendum censuit, de cujus origine progressu & Constitutionibus ingens volumen edidit, cujus ipse Cancellarius perpetuus designatus est, eodem honore ad successores derivato.

1473. 993. Egregius ille Deiparæ cultor Himbertus de Lona, sacræ ejusdem familiæ Cisterciensis Generalis, insigniter rursum magnam Matremfamilias demeretur, Romam profectus, ut Domesticos Virginis tyrannide Marianam possessionem invadentium liberaret: ubi adeò acriter coram Pontifice & Cardinalibus contra Commendas peroravit, ut lacrymas ab omnium oculis extorsisse referatur.

1475. 995. Omnium sub hoc tempus in se oculos convertit B. Bea à Sylva Portalegræ, Comitissa, Beati Amadei & Jacobi à Sylva Comitum Soror Germana, admirandâ formæ elegantiâ, toto Hispaniæ Regno celebrata, quam tamen ipsa à tot exambita proceribus, soli Virginis Filio, Virginum Sponso, intaminatissimo flore servans, nullam sic aulam, ut Virgineæ Matris mancipatum exambijt, sub cujus Augustissimæ Imperatricis auspicijs (quæ illi sese candido & cæruleo ornatu circumami-

ctam.

Ann. Chr.	S.P.N.	
		ctam (spectabili forma videndam exhibuit) sese in Monasterio Virginum nostrarum Toletano devovit, novum deinceps sub nomine tantæ Matris, ut suo videbimus loco, institutura.
1476.	996.	Moritur hoc anno supra laudatus, & optimè meritus de Domina nostra Himbertus de Lona Cisterciensis, ejus familiæ Generalis, relictis etiam præclari ingenij post se monimentis, cui etsi invitus admodum sufficitur dignissimus antecessore successor Joannes de Circio, quem Bonifacius Simoneta *massam omnibus virtutibus conditam & elimatam* appellat.
1478.	998.	Emigrat in Patriam Cælestem B. Ægidius de Roia, ex Abbate Montis Regalis Dunensis Monachus, Dei Genitrici addictissimus, cujus honori insigne Sacellum condidit, tantus Reginæ Angelorum in obsequio factus, *ut Angelum potiùs quàm hominem* se exhibuisse memoretur, quem à morte gloriosum Adrianus ejusdem loci Monachus conspexit, & ab eo varia Cælestis Sapientiæ dona accepit.
1480.	1000.	Urbem & Orbem insigni meritorum splendore percellit Guilhelmus de Estouteville ex Monacho & Priore S. Martini de Campis Rotomagensis Archiepiscopus S.R.E. Cardinalis Ostiensis, & Veliternus, è Regum Galliæ sanguine oriundus, Reginæ Cæli devotissimus, S. Mariae Majoris Basilicam impensiùs colens, cui multos pro tantæ Dominæ suæ magnificentia & dignitate fidelibus commendanda, proventus assignavit, & vasa aurea atque argentea ingentis valoris donavit.
		Ipso anno magnus ille Deiparæ cultor S. Agricolus Avenionensium quondam Pontifex & à morte post B. Virg. Patronus singularis, urbem eandem, quam sæpè servaverat, ab immani atque exitiosissima ciconiarum multitudine liberat, singulari ob idipsum memoriâ à scriptoribus celebratus.
1481.	1001.	Meretur peregregiè de augusta Virgine nostra Joannes de Lannoy Abbas Audomarensis, insigni instituto sodalitio sub nomine & patrocinio Virginis præsentatæ, ad cujus altare primarium non pauca evenisse miracula memorantur Deo ac Dei-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Deiparâ optimi Institutoris & fidelium Clientum fidem ac devotionem sic approbante & concitante.
		Hoc etiam anno transfertur solemniter Corpus S. Romualdi nostri, Institutoris lectissimæ familiæ Marianæ à Camaldulo appellatæ. Sed de Romualdo jam satis suo loco & tempore.
1484.	1004.	Novo Ecclesiæ circumamictæ diversorum Ordinum varietate ornamento, & plurimarum animarum summo bono instituitur hoc anno amabilissimi tituli magnæque Matri longè acceptissimi, Ordo B. M. V. de Conceptione, à B. Beatrice nostra de Sylva Portalegræ Comitissa, Moniali Toletana, admirandis super Ordinis ejusdem erectione visionibus illustrata & animata.
1486.	1006.	Ven. mem. Robertus Gagninus noster Generalis S. Familiæ de Mercede, cùm tertiam profectionem redimendis captivis in Africam institueret, periculosâ febri præoccupatus, & Deiparæ implorans opem, ab eadem magna cum gloria apparente, jubetur quamprimùm surgere & in Africam contendere, inde felix & incolumis rediturus, quod & meruit Franciscus Bernardini &c.
1487.	1007.	Eundem longè illustrissimum *Virginis Immaculatè conceptæ Ordinem* solemniter confirmat Innocentius VIII. Pont. Max. confirmante ipso etiam Numine tantum suæ Matris honorem, cùm Diploma nimirùm naufragio perijsset, fusis à Beatrice precibus indemne prorsus alia inter scripta, in scrinio sanctæ hujus Institutricis repertum.
1489.	1009.	Moritur hoc anno Regno æternitatis potitus B. Casimirus Poloniæ Princeps, Casimiri Poloniæ Regis filius, qui celeberrimum illum de Deipara Engelberti Abbatis nostri Hymnum: *Omni die dic MARIÆ mea laudes anima &c.* Quotidiè flexis genibus recitare consueverat, tanti ipsum faciens, ut secum etiam consepeliri vellet. Hunc enim Hymnum alia inter Engelberti Admontensium in Styria Abbatis scripta reperiri intelleximus, & superiùs jam meminimus, qui ducentis fortè annis

Ann. Chr. | S.P.N. | ante Casimirum vixerat, cùm tamen hucusque hunc Hymni illius authorem facerent.

1490. 1010. Alter sui sæculi Homerus claret Carolus Fernandus Monasterij S. Vincentij Casalini Monachus, à prima ferè ætate oculis captus, in omni tamen scientiarum genere versatissimus, ita ut in celeberrima Orbis Universitate Parisiensi publicè doceret. Is ingenio tantò promptius, quantò minùs oculis usus, tribus omninò libris scriptis Cælorum Reginam demeruit, & uno quidem Conceptionem tantæ Matris & Virginis extulit, altero laudes ejusdem, & quidem Carmine Jambico deprædicavit, tertio sacram tantæ Matris familiam Carmelitanam commendavit, ne deesset è nostris qui istum etiam Domesticorum MARIAE Ordinem demereretur, ut non minùs cæcum hunc tam clarè scribentem, quàm disertè loquentes laudes Dominæ Infantes & lactentes admireris. Cujus etiam insignis de eadem magna Ordinis nostri Tutelari oratio celebratur.

1491. 1011. Egregiâ vitæ sanctitate familiam magnæ Matris Camaldulensem illustrat B. Maphæus Gerardus, S. R. E. Cardinalis, Venetiarum Patriarcha, Dominæ suæ ut studiosissimus, sic Humilitatis Magistræ dignissimus imitatione discipulus, cujus sanctissimæ negligentiæ, si non industriæ, certè Humilitatis argumentum insigne illud fuit, Innocentij Papæ Diploma quo in Collegium PP. Purpuratorum adlecti Nuncius perferebatur, alijs tantopere ambientibus, perdidisse, tanquam qui tantos titulos tanti non faceret, quin ipsum etiam honorem perdere mallet, quàm tantus honorari, cui honor præcipuus in famulatu Virginis Matris consisteret.

1493. 1013. Archisterij Mariani Montis-Serrati ingens gloria, & à Regina Apostolorum & Martyrum ingens decus, reflorescente illic sub hoc tempus summoperè disciplinâ Monachicâ, è cujus gremio hoc ipso anno primus Indiarum Apostolus, novi Orbis Patriarcha Ven. Bucillius assumitur, duodecim ex Ordine nostro Collegis ad tam illustrem functionem assumptis, quorum aliqui deinceps fuso suo sanguine Martyrum Reginæ in Cælo

Cho-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Choris sociari meruere, qui Dominæ tantæ in terris tam devotè servierant, ejusque cultum & sacri Rosarij usum primi in America propagaverant.
1496.	1016.	Egregiâ eruditionis & pietatis famâ celebratur Conradus de Rodenberg, Monachus & Prior S. Mariae Treverensis, Abbas S. Joannis Baptistæ in Rhenaugia, sive Ringovia, singularis beatissimæ Matris Virginis amator, cujus sui amoris illustrissimum sanè monimentum posteritati reliquit, insignem de laudibus tantæ Reginæ librum sumptâ de singulis ejus membris materia, ut nihil de alijs dignissimis tanto ingenio lucubrationibus memoremus.
		Quo ipso anno floruit non minoris sanctitatis quàm eruditionis titulo celeber Bernardinus Gadolus, familiæ Marianæ Camaldulensis Alumnus, qui in omnes Scripturæ libros Commentaria edidit, cujus utinam Cantici Canticorum Deiparæ proprij explanationem ad manus haberemus.
1498.	1018.	Ad præmia æternitatis vocatur fine hujus sæculi, an sequentis initio B. Beatrix nostra de Sylva, Ordinis B. M. V. de Conceptione meritissima Institutrix de hora mortis suæ ab ipsa Cælorum Imperatrice edocta, cujus exemplo Hispaniarum Regna mirificè ad Conceptionem Dominæ nostræ affici cæpêre, Dominâ ejusque Filio Beatricem etiam à morte honorantibus, cùm in defunctæ benedicta fronte stella aurea insoliti fulgoris insedisse conspiceretur.
		Eodem anno cum Balnei oppidi Municipes collisi cædibus intenti sunt, in Monasterio PP. Camaldulensium coram B. M. V. Imagine in preces effusus, accensâ face Bocius Dieciajutus videt è sinistro Imaginis brachio sanguinē fluere. Exclamat, inde concursus, defluxit sanguis duabus horis, donec omnes multuò veniam dantes reconciliarentur. Abbate loci Imaginem à pariete solvente, & cum illa populo benedicente, in processione circumferente, & in Altari collocante, quæ ex eo tempore miraculis celeberrima fuit.
1500.	1020.	Novæ rursum sub invocatione & nomine Deiparæ familiæ

Ann. Chr. S.P.N. atque Ordinis Reformationes sese exserunt, & felicissimos tantæ Matris auspiciis progressus sortiuntur, Sagiensis imprimis atque Mont-Serratensis, latè sese quamprimùm fructu cùm boni odoris famâ diffundente.

Magnus iterùm magnæ Matris in Familia ejus Camaldulensi Domesticus B. Michaël Florentinus, verè Angelus, ex Michaële Salutator Gabriel, totus Virginis factus, cùm Filium Matris honore plurimùm delectari sciret, Matrem quoque Filij honore demeriturus, ad imitationem *Coronæ Marianæ*, primus ipse *Coronam Domini*, certum precandi modum adinvenit, quo singulis Orationibus Dominicis singulos ætatis Christi annos venerraretur decadem quamvis Salutatione Angelicâ interstinguens, coronam certè in Cælis non unam meritus, sed quotquot ejusmodi Coronæ à fidelibus Cælo destinatæ sunt, minimè mortalium studijs vinci se patientibus, quibus in immensum abundat, Filio de suis, Matre de Filij thesauris profusissimè largientibus.

1501. 1021. Initium sæculi hujus Reginæ Apostolorum ac Martyrum missa Apostolica in Americam Colonia suo sanguine nobilitat & consecrat, qui cùm maximi perfuncti, itineris legationisque discriminibus, barbaras gentes ad sinum misericordiæ Matris ejusque Filij gratiam invitassent, ab ingratis immisericorditer interempti, laureâ coronati Martyrum ad triumphos æternos ascenderunt.

1503. 1023. Crescente disciplinâ Montis-Serrati Monachorum, concurrente eodem ingenti peregrinorum multitudine, magnificentiam suam prodit miraculorum multitudine misericordiæ Mater, cujus subinde collata in exteros etiam beneficia ex innumeris pauca memoranda erunt.

1505. 1025. Familiæ Marianæ Vallis Umbrosæ illustrissimum Sydus hoc anno Cælis infertur B. Angelus Angelorum Reginæ in terris cliens verè Angelicus, qui contemptu generis generosus, nobilitatem sæculi servitio permutans Mariano, cùm Dominæ tantæ gratiam omni arte & ingenio exambiret, alios inter acce-

An n. Chr. | S.P.N. | acceptos ab eadem favores meruit, & magno ejusdem beneficio impetravit, ut in elevatione SS. Corporis Christi, Dei, ut fertur, *gloriam intueretur*.

1506. 1026. Ne minùs Germanis quàm Hispanis adesse & patrocinari Regina Cælorum videretur, in Cella sua & nostra, Austriæ Cœnobio, sive Lambertini Cœnobij membro, Omnipotentis se esse & misericordiæ Matrem ostendit maximis prodigijs & beneficijs, quæ inter hoc ipso anno infantem aquis mersum, & rotâ insuper molari contritum grandi miraculo vitæ restituit.

1507. 1027. Moritur hoc anno S. Franciscus de Paula, Ordinis Minimorum Institutor, quem ipse Jesu & Mariae dici voluit, priusquam suum institueret Ordinem, quatuor annis in Vicina Casino solitudine à nostris institutus, multisque modis adjutus, Cultor Divinæ Matris singularis, cujus tamen paupertatem & humilitatem præ alijs virtutibus piè æmulari visus, oblatam à Ludovico XI. Galliæ Rege auream Virginis Statuam septendecim millibus aureorum æstimatam acceptare constantissimè recusavit, satis sibi papyraceam, quam apud se haberet, imaginem esse dicens, quæ æque atque aurea Dominam suam repræsentaret.

1508. 1028. Eligitur hoc anno alter à S. Francisco Jesu & Mariae Minimorum Ordinis Generalis Franciscus Binetus noster, Prior aliquando Monasterij nostri S. Mamertini in Gallia, qui de licentia sui Abbatis S. Francisco ob egregiam Sanctitatem adiungi socius itinerum expetens, ejusdem velut Elias Elisæi spiritum imbibit, & cum eruditione insigniter excelleret, Viro sancto in condendis Ordinis Legibus adfuit, alter ab illo Marianæ hujus familiæ Institutor, ut & à morte Gubernator electus communibus omnium votis in Capitulo Generali Romæ celebrato.

1510. 1030. Cælos plausu implet felicissimo suo è terris transitu beatæ memoriæ Garsias de Cisneros, Congregationis Marianæ Monserratensis in Hispania Author meritissimus, & Augustissimæ illius Divinæ Matris Domicilij Antistes dignissimus, sub quo

Ann. Chr.	S.P.N	
		Divina Mater maximis se prodens beneficijs Garsiæ suæ imprimis conatus ut plurimùm probavit, sic & mirificè probavit, ipso cœlestibus flammis adeò succenso, ut velut corpore solutus totus Cælis immigraret, fassus familiaribus se quandoque incognitâ perfundi gratia, interdum cælestem percipere Harmoniam, sæpè mente altius elevari, tantâque affici dulcedine & consolatione, ut cum Petro in illa erumperet: Dominè bonum est nos hic esse. Qui quanto studio cultum Dominæ suæ, in oculis ejus tam prodigiosæ ac beneficæ promoverit, qualem se famulum tam propitiæ sibi Imperatrici exhibuerit, nemo satis imaginari, nedum quiverit explicare. Idem leges Eremitarum nostrorum in illo sacratissimo Virginis Monte condidit, idem exercitatorium vitæ spiritualis scripsit, & modi illius, qui hodie tanti à viris religiosis fit, primùm excogitavit, & sacri domicilij Matrem mille modis demeruit.
1512.	1032.	Celebri illectus famâ incolentis Montem-Serratum, & in multitudine Sanctorum detentæ ac habitantis Cælorum Reginæ Joannes Cianones sive Canonius Gallus, vir præstantissimus, eodem evolat, & hoc ipso anno tantæ se Dominæ illic emancupat, tantâ animi demissione atque innocentiâ omnibus sese probans, ut non tam similis parvulorum, quàm lactentium, verè lacteus magnæ Matris Alumnus admirationi omnibus intuentibus esset, ijs paulò post progressibus, ut à ferventissimo illo Dei Genitricis Cultore, novique Patrum Societatis Jesu Ordinis Institutore Ignatio, conscientiæ & animi arbiter eligeretur, quod suo deinceps loco videbitur.
1514.	1034.	Iterùm memoranda nostra Austriæ magnæ Virginis Cella, ex qua potentissimam dextram ad Rhenum usque exporrigens Cæli Regina, Mariam Caroli V. Cæsaris sororem, Ludovici Ungariæ Regis Sponsam implorata prodigiosè cum sua familia fluctibus eripuit, & ab interitu vindicavit, cùm jamjam omne remedium atque opem Navarchus ipse desperasset.
		Iterùm nova Deiparæ familia erigitur, imò antiqua novo fervore exsuscitatur, operâ Ven. Pauli Justiniani, illustrissimo

Justi-

Ann. Chr. | S.P.N. Justinianorum genere apud Venetos orti, qui Camaldulensem B. M. V. Ordinem reformare magno animo adgressus, Montis Coronæ Congregationem Divinæ Matri sacram immortali cum merito instituit, eoque nomine Cælorum Augustam sibi immortaliter obstrinxit.

1516. 1036. Moritur oraculum illud Principum, sui miraculum sæculi Joannes Trithemius noster Abbas Spanhaimensis, Dominæ nostræ longè amantissimus, quam propagatâ magno Zelo Bursfeldensi ipsius familiâ insigniter demeruit, eamque ut magis demereretur, libris duobus felicissimæ & sanctissimæ ejus Matris Annæ laudes descripsit, & cultum mirificè promovit, Rosarium quinquaginta distinctum articulis, Horarias item preces, nec non Missæ Officium pulcherrimo amoris invento de eadem composuit. Simili item cultu Sponsum Virginis purissimum sanctissimum Christi Nutricium Joseph honoravit, & integro libro commendavit, cumque ad Imaginem miraculosam beatissimæ Virginis in Dittelbach amantissimè afficeretur, duos item libros de miraculis ejusdem conscripsit, ut omnia alia ejus merita taceamus, quibus Dominam, Orbem, & Ordinem universum demeruit, *totius arca Sapientiæ* à Joachimo S. R. I. Electore Brandeburgiæ appellatus.

1517. 1037. Insignis Divinæ Matris Amatricis & Cultricis B. Theresæ Valentiæ Reginæ, Monasterij B. M. V. in Urbe Valentina conditricis, & Regno relicto illic Monialis, hoc anno sacrum Corpus post aliquot sæcula reperitur in tumulo incorruptum ac totum vividum, atque ita usque hodie magnâ populi veneratione visitur.

1518. 1038. Cum hoc anno Roma atque Italia Turcarum metu tremeret, Leo X. Pontifex Max. Imaginem illam beatissimæ Virginis, quæ quondam ab Angelis S. Gallæ nostræ mirè dilata fuit, solemni in supplicatione deferri jussit, quam ipse cum Patribus Purpuratis nudis pedibus prosequutus est, cùm anteà publicè in processione deportata non semel pestem ab urbe profligasset,

ut tan-

Ann. Chr. | S.P.N. | ut tanto post munus tantum, & ob hoc gratiam Roma S. Gallæ nostræ debeat, ipsius primùm meritis destinatum.

1519. 1039. Moritur magnæ Matrisfamilias Ordinis Vallis Umbrosæ specialiter dilectus Domesticus B. Homodeus, singulare ejusdem Congregationis ornamentum, alter Dominicus Loricatus, cùm plurimos annos Dominæ suæ serviens, ætatis nonagesimum attigisset.

Celebrantur hoc ipso tempore plurimi præstantissimi Deiparæ servi, Domicilij ejusdem Monserratensis Sydera, F. Petrus Munnoz, dignissimus beatæ mem. Garsiæ de Cisneros Successor, & alter reformationis Promotor; F. Franciscus de Turre, F. Petrus de Burgos, F. Joannes de Bartolina, F. Joannes de Soria, F. Alphonsus de Cebrian, F. Joannes de Valuanera, alijque, qui occurrentes ad Dominam suam peregrinos sanctissimis vitæ exemplis mirificè instruxerunt, & honori Aulæ Marianæ plurimùm consuluerunt.

1520. 1040. Iterùm nova Diviniæ Matri adjungitur familia immortali merito venerabilis Dominæ Mariæ de Touars, Abbatissæ Monasterij B. M. V. de Charentam, quæ hoc ipso anno Reformatrix insignis extitit Congregationis Casalis, meritissimis magni Ordinis Restitutoribus adjungenda.

Hoc ipso anno mirè servata Deiparæ Cisoniensium Monachorum familia est, cùm concinendis Dominæ suæ Vesperis devotiùs vacarent, fulmine subitùm in medium Chori delapso, nemine eorum afflatu læso, nedum extincto.

1521. 1041. Hoc anno mortiferâ lue Austriam, Moraviam, & Bohemiam adeò depopulante, ut passim funeribus tumuli deessent, superstites cladi è diversis provincijs ad Cellam nostram Marianam in Austria pro ope concurrunt, nec frustrà, Matris suffragijs & supplicum precibus flexo Numine, & peste quæ tantopere sæviebat misericorditer extinctâ.

Iterùm insigne Mariano nomini monimentum conditur, Monasterium S. M. V. Heverense in Brabantia, fundante Wilhelmo Crojo, & familiæ Deiparæ Cælestinæ id consignante,

Ann. Chr. S.P.N. te, ubi & Wilhelmus & posteri Duces Arschotani digno Principibus Mausolæo illati sunt.

1522. 1042. Moritur illustrissimum illud Marianæ familiæ Camaldulensis Sydus, B. Michaël Florentinus, Rosarij, quod Camaldulense appellant inventor & author, quo qualiter Dominam demeruerit, superiùs diximus.

Ipso anno sanctissimus ille meritissimæ Societatis Jesu Institutor S. Ignatius de Loyola ad nostrum Montis-Serrati Monasterium profectus, à lectissimis illic magnæ Matris Domesticis Michaële Fernerio & Joanne Clanonio piè instituitur, pridiè Annunciationis B. M. V. F. S. Gabrielis Archangeli eò delatus. Ubi cùm in æde Reginæ Cælorum gratijs & majestate plenissima totum se Deo ejusque Parenti sanctissimæ traductâ in precibus nocte devovisset, Joanni Clanonio prædicto totius vitæ superioris noxas per sacram confessionem triduo deposuit, multis ab illo præsidijs instructus, non in præsens duntaxat, ad animi expiationem & medelam, sed ad eum sanctitatis apicem, quo posteà evasit, securiùs faciliùsque conscendendum, spiritualibus exercitijs ab eodem diligenter excultus, ijs ipsis, quæ Garsias de Cisneros admirandæ sanctitatis Abbas, disciplinæ Monachicæ non in domo solùm illa Deiparæ, sed per Hispaniam universam restaurator, paulò ante concinnaverat. Ignatius hominem nactus, qualem salutis ipsius rationes requirebant, Joanni se totum apperuit, & quæ mente imposterùm designaret, cum eo contulit, de nutu ipsius ac sententia statuens quidquid deinceps admirabili studiorum actionumque convenientia ad obitum usque est exequutus. Quin & Manresæ propinquo oppido subsistere aliquandiu decrevit, undè sæpiùs & commodiùs & Deiparam & Spiritualem Patrem conveniret. Ut tanti Dominae nostræ Cultoris, & tanti Ordinis Institutoris præclarè gesta haud minimâ ex parte, ad Domesticos magnæ Matris & Virginis Montserratenses nostros Fernerium, Clanonium, & Cisnerium pertinere videantur.

1524. 1044. Montis Coronæ Mariana Camaldulensis Ordinis nostri Reformatio inæstimabili B. Justiniani nostri merito felicissimos progressus sortitur, in qua Deiparæ ejusque Filio se devovet hoc anno Galeatius Gabrielius, Vir longè meritissimus, *cujus ingressus*, inquit Lucas Eremita, *plenissima Religionis hujus confirmatio extitit*, cum exemplo hujus spectatissimi quivis Viri eodem sub Instituto Deiparæ emancipari, sedulo exambirent.

1525. 1045. In Domicilio magnæ Matris Montserratensi alius rursum magno virtutum fulgore Virginis Domesticus se prodit Venerabilis P. F. Franciscus de Vejar, qui quotidianis mirabilium Dominæ suæ in advenas beneficiorum largitionibus conspectis, tam liberalis Reginæ amoribus vehementer accensus, magnum vicissim ejus amorem & specialem favorem meruit. Quippe morituro spectabili formâ adesse dignata, magno Virum religiosissimum solatio affecit, ad cujus Supera Palatia & coronam promissam diligentibus, paulò post mortali corpore excessit.

1526. 1046. Specialissimè dilectam Virginum Virgini Patrum Capucinorum familiam, hoc ipso anno primis & tenerrimis initijs, tenerrimè atque amantissimè fovent nostri, & imprimis beatæ memoriæ Franciscus noster Carracetanus, cujus propheticâ voce attoniti primi Ordinis Institutores FF. Ludovicus & Raphaël, indumentum, quo hodie utuntur, assumpserunt, cùm Franciscus noster Matthæum à Bacio, quem nunquam viderat, præviderat tamen tali habitu venientem, affirmasset nativum S. Francisci habitum gestare.

1527. 1047. Iidem primi Patres Capucini irrisui passim habiti, à sacra B. M. V. familia Camaldulensi tanquam Germani fratres adamati, immortali sanè meritò foventur, juvantur, & promoventur, quos etiam carceribus inclusos B. Paulus Justinianus, qua erat ob sanctitatem famâ atque auctoritate libertati restitui impetrat, qua quidem nostrorum charitate devincti isti ipsos deinceps insigniter coluêre, multa ex eorum Constitutionibus,

qua-

Ann. Chr. S.P.N.

qualia fuêre: barbam nutrire, nec non sine cantu, solâque distinctâ pronunciatione laudes DEO canere, &c. deinceps imitati.

1528. 1048. Supremus hic annus B. Paulo Justiniano novæ familiæ B. M. V. Grottanæ sive Montis Coronæ Fundatoris meritissimi, Mariani nominis propagatoris celeberrimi, cujus utinam sacra opuscula videre mereremur, quæ ad centum unus hic Deiparæ homo proprius scripsisse memoratur, ut vel obiter quidem lac inde Morianum & mella degustemus.

1529. 1049. Claret, ni fallimur, sub hoc ipsum tempus B. Maria de Pinto Abbatissa, quæ sui ergà Divinam Matrem affectûs egregium moliens & statuens monimentum, haud procul Madrito nomini & honori Reginæ Cælorum pulcherrimum condidit Cœnobinm, quod *de Conceptione*, appellavit, ipsa autem *à Matre DEI* cognominata est, cujus sacrum corpus in Monasterio Jepensi magno miraculo & summâ omnium admiratione servatur incorruptum.

1530. 1050. Iterùm egregium Sydus à monte illo Virginis Serrato exsplendescit P. F. Christophorus de Zamora, qui Dominam suam fidelissimo servitio demeritus, domicilio ipsius magnum decus & nomen conciliavit, ab eximia vitæ sanctitate celebratus, idem prophetico illustris Spiritu, quo & suam & aliorum è nobili illa Deiparæ familia singulorum ex nomine mortem prævidit prædixitque.

1531. 1051. Inter præcipua novæ Marianæ Congregationis de Monte Coronæ fulcra & decora illustrissimo sanctitatis nomine sese prodit B. Hieronymus Suessanus, felicissimus novæ Rerformationis & Mariani nominis propagator, Prior Almasacij, cui quandoque cum Fratribus fame laborantibus non sine prodigio alimenta subministrata sunt, eo qui convexerat inter imbrium densitatem non solùm non madefacto, sed neque sarcinis quidem imbre humectatis.

1532. 1052. E densissimis Germaniæ tenebris raro virtutum fulgore emicat Benedictus Abbas Faucium Juliarum, eo ipso nomine Ca-

Ann. Chr. S.P.N. rolo Cæsari charissimus, inter commune patriæ incendium, rubi Divino ardentis igne & incombusti redivivum exemplar, tantò etiam convenientius, quantò amantior illius Matris Virginis fuisse commendatur, quàm rubo illo signari sancti Ecclesiæ Doctores contestati sunt.

1534. 1054. S. Ignatius de Loyola meritissimæ illius de Orbe Christiano Societatis JESU Institutor (quem sanctioris vitæ fundamenta in nostro B. M. V. Montis-Serrati in Hispania Cœnobio posuisse dixeramus) nunc in Gallia quoque & altero B. M. V. Montis Martyrum Cœnobio, ipso solemnissimo Assumptionis Deiparæ Festo, priùs illic expiatus, vota professionis cum socijs emittit, in cujus rei æternum monimentum tabulam illic Societatis Patres statuerunt, in qua idem eorumdem Patriarcha Ignatius cum scheda professionis ante beatissimam Virginem & Dionysium ac socios, necnon SS. BENEDICTUM, Maurum & Romanum depictus cernitur.

1535. 1055. Obijt Parisijs cum magna sanctitatis opinione B. Petrus Bartius, Cælestinæ magnæ Matris familiæ domesticus, qui uti Dominam nostram summo studio coluit, sic & magnam ejus gratiam specialius meruit, cujus ope, spectabili formâ apparentes cacodæmones, ipsumque velut Antonium plagis cædentes, feliciter triumphavit.

1536. 1056. Supremus hic annus magni Deiparæ in Monte-Serrato Vicarij & Abbatis Petri de Nunnoz, Garsiæ de Cisneros Viri sanctissimi, olim familiarissimi, & eodem in munere successoris, secundi post illum Reformationis illius Marianæ æterno cum merito promotoris, qui plurima passim per Hispanias Cœnobia Dominæ suæ lucratus, ejusdem lectissimæ familiæ adjunxit, & Cæli Reginam sibi immortaliter obligavit.

1537. 1057. Inæstimabili vitæ merito excellit Ven. Ludovicus de Strada, Horti B. M. V. nobilissimus flosculus, qui Dominam suam sub hoc ipsum tempus insigniter demeruit, cùm varijs jactatam procellis S. Ignatij Loyolæ novellam familiam summo studio foveret, & ut Compluti primùm ad Universitatem illam

Ann. Chr.	S. P. N.	
		illam admitterentur, impetraret. Imago B. M. V. de Camera Messinæ Monasterij Monialium à magno Gregorio structi, dum aliquandiu donec Basilica de novo strueretur, alibi detenta, ad veterem locum transportaretur, audiente & spectante universo populo solemnem inter processionem, Campana S. Gregorij Angelico procul dubiò ministerio, nemine mortalium adhibente manus, prodigiosè pulsata Imaginem quasi salutavit. Placidus Samperius.
1538.	1058.	Illustrat hunc annum admirandâ sanctitate B. Jacobus cognomento Callipetus, Prior Viciacensis, qui cùm augustissimam Dei Matrem devotissimè coleret, & ipsa vicissim eundem colere visa & magno favore dignata est. Quippè rem Divinam quandoque facienti, è Cælis cum Sanctorum accurrens multitudine, coronam varijs & cælestibus bellissimè compositam floribus, servi sui charissimo capiti suâmet manu imposuit, & Jacobum suum verè gloria & honore coronavit.
		Eodem anno magnus ille Marianis amoribus & favoribus Thomas Cantuariensis altero quasi Martyrio afficitur, sacris ejus ossibus Hæreticorum scelere publicè concrematis.
1539.	1059.	Admirandis prodigijs apud Montem-Serratum, Cellam Mariae & in Einsidlensi Sacello inter nostros habitare se prodit Deipara, hoc ipso anno Sacerdos quidam nomine Valloria ab octodecim an. viginti hostibus obrutus, Deiparæ Montserratensi se commendans, quantiscunque peteretur viribus, gladijs, balistis, pugionibus, salvus & incolumis nullo prorsus illato damno relinquitur, qui cùm Servatrici suæ gartias ageret, novo & raro sanè prodigio subitò sese in proprias suas translatum ædes intuetur & miratur.
1540.	1060.	Sacrilegâ sacri auri siti Henricus Galliarum Rex Cœnobia Angliæ, pleraque magni Matri Sacra, ejectis sive interfectis ejus domesticis, expilat, & in Palatinos aliosque adulatores distribuit, ulciscente injurias Matris & suorum Numine, præcipuis qui auctores facinoris fuerant pessimè, & nonnullis morte

Ann. Chr.	S.P.N.	
		luentibus, quorum interitum Stous & Reinerus, alijque Angliæ Scriptores memorant.
1541.	1061.	Non semel, iterùmq; apud nostros suæ Societatis posuisse fundamenta satis habuit Ignatius Sanctissimus Patriarcha, BENEDICTAE Virginis BENEDICTIque Patris longè amantissimus atque observantissimus, hoc iterùm anno Romam occurrens in S. Pauli Monasterio solemnissimam cum tanti operis socijs denuò Professionem facit, & quidem ante aram sanctissimi Legislatoris nostri sacram illam Ceremoniam peragens. Unde Casinum secedens, tanquam ad alterum Synai montem, aliquot ibi commoratus mensibus, secundas religiosarum legum tabulas scripsit, in quibus condendis ipsi è nostris Angelus Ricca, Benedictus Canophilus, & Gregorius de Pisonibus Casinates Monachi, & pietate & eruditione præstantissimi adfuêre, ut ad hoc quoque portio non minima tantorum spectare meritorum videatur.
1543.	1063.	Cælorum Reginæ quotidianis in aula ejus Montis-Serrati favoribus, domesticorumque ejus illectus sanctitate hoc ipso anno sese tantæ Dominæ emancupat Benedictus de Toco, è Regia stirpe Regum Albaniæ seu Epiri oriundus, Caroli V. Imperatoris & Hispaniarum Regis Pincerna, in quo deinceps tantopere in obsequio tantæ Reginæ se probavit, ut ad varias deinceps Episcopales Cathedras, Biquensem, Gerundensem atque Ilerdensem expeteretur.
1544.	1054.	Apud Albanetam, Prioratum Casinatiū Beatiss. Virgini sacrum consedisse sub hoc tempus S. Ignatium de Loyola nonnulli volunt, atque illic sub cura nostrorum, Divinis vacasse, quo ipso loco in illa nostrorum magnæ Virginis æde magnis illum benevolentiæ indulgentioris argumentis DEUS prosequutus est, tum præsertim cum illi inter orandum Socij cujusdam è suis, qui per id tempus Romæ abierat, animam in Cælum subeuntem, velut BENEDICTO Scholasticæ sororis, & Germani Episcopi animas ad Superos evolantes aspectabili specie præsentavit.

In no-

1546. 1066. In nova beatissimæ Virginis Grottanorum Congregatione Virorum genere, doctrinâ & sanctitate illustrium, tanta frequentia, se prodit, ut perfectorum æque convenienter, quàm Monachorum licuisset appellare familiam, quorum operâ Divinæ Matris cultus insigniter promovetur.

1547. 1067. Rem præclarissimè gerit Gervvicus noster è nobilissima Plaarerorum familia, Abbas Weingartensis pro sacris Imaginibus & Domina nostra stans, cujus sacram ædem Ravenspurgi, & eam quæ superest Catholicorum partem in fide & devotione S. Matris Ecclesiæ servavit, pari studio atque industriâ Constantiæ, Biberaco, alijsque Urbibus consulens, cùm subito scelere in Hæresim pleræque per Germaniam provinciæ & civitates præcipitarent, qui insigni sanè magnanimitate hoc ipso anno, frendentibus circumcirca hæreticis, Festo Corporis Christi solemni in processione Ulmensi in Urbe Hæreticorum Sueviæ Metropoli Virginis Filium sub speciebus panis Eucharistici ultimùm circumtulit, Cæloque ac Cæli Reginæ zelum suum memorabili exemplo comprobavit.

1549. 1069. Calamum pro armis in hostes Dominæ suæ stringit Joannes Feckenamus Euesheimensis Monachus, non tam Evæ quàm MARIAE domo & dono natus, magnæ Matris pugil & domesticus nobilissimus, qui Cælorum Reginæ injurias insigniter vltus, etiam in carceribus & turri Londoniensi liber, liberè pro sanctis Imaginibus & DEI ac Dominæ hæreditate in terris loquutus, gravissimis disputationibus fœdissimos hæreticorum errores ita elusit ac convicit, ut ipsimet satisfactum sibi esse, etsi ipsi non satisfacerent, faterentur.

1550. 1700. Non sine opinione sanctitatis, summâ virtutis atque eruditionis famâ Belgium implet, Ven. Ludovicus Blosius ex Illustrissima Blesensium & Campaniæ Comitum sanguine oriundus, Abbas Lætiensis, Dominæ nostræ longè devotissimus, qui sub hoc ipsum tempus varia ad honorem tantæ Tutelaris suæ meditatur, & immortali merito præclarissimis præstantissimi ingenij monimentis posteritati transmittit.

1551. 1071. Ne inferiori Germaniæ superior cedere videretur, & ipsa suum ostentat Blosium, etsi non omninò cognominem Henricum Clausium Wiblingensem Abbatem, qui quasi stella matutina è medio nebulæ tot Hæresum, & vicinæ cumprimis Ulmæ patriam suam haud leviter illustravit atque ornavit, scriptis non paucis egregiâ eruditione & religione libris, è quibus ejus ergà Deiparam affectus quàm devotissimus insigniter comprobatur. Coluit idem summâ devotione Dominæ nostræ Matrem sanctissimam & felicissimam Christi Auiam S. Annam, ad quam devotissima ejusdem Commendatio quædam celebratur.

1553. 1073. Magnus iterùm magnæ Matrisfamilias nostræ domesticus B. Jodocus Palmerius, ex infera ejusdem domo ad Supera Palatia æternùm victurus emigrat, cùm tantæ Dominæ in monte Virginis emancupatus plures annos vigilantissimè servijsset. Ingens & rarum hac ætate familiæ illius ornamentum.

1555. 1075. Ad felicem immortalitatem emigrat hoc anno mortali è corpore Isidorus Clarius, clarissimum Italiæ Sydus, Deiparæ longè amantissimus, in lectissimi tantæ Matris commendati à Crucifixo Filij Joannis Evangelistæ Parmensi Cœnobio Monachum professus, inde ad curam Matris S. MARIAE de Cesena Congregationis Casinensis Cœnobium vocatus, ejusque Abbas designatus, Fulginatum denique Pontifex creatus, *exemplo & verbis admirabilis* refulsit, suique ergà Dominam amoris præclarissima monimenta reliquit; *Canticum*, imprimis *Canticorum* insigni libro exponens, & in Lucæ Evangelium totus incumbens, quem disertiùs Deiparæ res tractare noverat, quinquaginta quatuor super eodem orationibus compositis. Cujus inter alia laudibus assignatur, ad pulsum aliquando salutationis Angelicæ cùm locum siccum non reperiret in medio luti in genua procubuisse, cæteris qui aderant ridentibus.

1556. 1076. Ad Dominæ suæ Palatia æterna emigrat B. Hieronymus Suessanus, familiæ ejusdem Montis Coronæ meritissimus propagator, cujus vita omnis, juxta S.P.N. jugis quadragesima

fuit,

Ann. Chr.	S. P. N	
		fuit, nec rigore minor, rara animi demissio, orationisque ac contemplationis studium, quo plurimùm valuit. Sed ante omnia Divinæ Matris amor hominem nobilitavit, cujus indubiè ope ac favore celeberrimi illius Rhuæ Cœnobij author esse meruit, in quo cùm Tutelaris suæ dilectissimæ Imaginem posuisset, frequentibus mox illa locum miraculis illustravit, & pios clientis sui conatus mirè promovit. Eum Paulus IV. à puero ipsi familiaris cùm inter purpuratos Patres accensere statuisset, flens prostratusque ægrè obtinuit, ut vel tunc saltem dimitteretur, paulò post inter purpuratos aulæ æternæ adscriptus, miraculis etiam cùm viveret illustris.
1558.	1078.	Iterùm nova Deiparæ & illustris familia, Theatinorum scilicet Ordo à nostris instituitur & promovetur, authoribus Paulo IV. Pontifice Monacho & Abbate quondam S. Severini Neapolitani, & B. Cajetani, quod sanctissimum Institutum ante Pontificatum à se imprimis promotum auctoritate Pontificiâ plurimùm extulit & confirmavit Paulus, magno inde paulò post in Ecclesiam fructu dimanante.
1560.	1080.	Moritur hoc anno B. Elisabeth cognomento Tuback, Vallis Rosarum Monialis, Mariani Cisterciensium horti rosa elegantissima, Reginæ Angelorum addictissima, cujus à morte tumbam Angeli cælesti Musicâ honorârunt.
		Quo ipso etiam anno eandem æternitatis legit semitam F. Michaël Fornerius, insignis Marianæ Congregationis Mont-Serratensis promotor, Deiparæ in sacro illo ejus domicilio Vicarius & Abbas meritissimus, vir planè Cælestis & Angelicus, quem in vita etiamnum Hispani pro sancto habuerunt, qui strenuus humilitatis Dominæ suæ æmulus, oblatum à Carolo V. Vicensem Pontificatum generosissimo contemptu recusavit.
		Nec minor fama hoc item anno Bartholomæi Garrigæ, Michaëlis in Abbatia prædicta Successoris, qui, sicut puerulus olim prædixerat, celeberrimum illud magnæ Matris templum Montserratense magno animo aggressus, ingenti sumptu exædifi-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		dificans, illustrissimum sanè Mariani amoris monimentum posuit.
1561.	1081.	Cælo nascitur postridie Natalis Domini, Partus Virginei Ven. P. F. Franciscus Levorotus, ejusdem S. Montis-Serrati Monachus, qui mirabili Numinis vocatione, cælesti & prodigiosa voce, ad lectissimum illud Cæli Reginæ in terris domicilium vocatus, tantæ Matris accensus domesticis admirabili Zelo Dominam suam demeruit, & omnium ad ipsam recurrentium peregrinorum solatium extitit, quorum undique confluentium, cùm tota die confessiones excepisset, mediâ nihilominùs nocte ad nocturnas consurgens Vigilias, ijs finitis usque manè in oratione coram Crucifixi Imagine perstitit, à mirâ compunctione & lacrymarum dono celebratus.
1562.	1082.	Alia ferè omnia negligimus dum Dominæ nostræ in Monte Serrato attendimus, quæ hoc etiã anno alium è suis domesticis ad Supera sua evocat Palatia Petrũ Alphonsum de Burgos, Carolo V. Cæsari olim apprimè dilectum, sed aulâ contemptâ Dominæ Matri in prædicto ejus Cœnobio emancipatum, qui ut Dominæ suæ tanquam fidelissimus servus honori consularet, mundumque ejus amoribus succenderet, insignem de laudibus ejusdem librum composuit, & scriptoris mercedem hoc anno meruit.
1563.	1083.	Magnus ille Justinianus noster novæ familiæ Montis Coronæ Conditor mortalibus valedicit, ut salve Dominæ suæ in cælis dicat victurus æternùm, qui dum in terris fuit, Dominæ suæ vixit, ipsamque immortaliter demeruit, mortuus quâ Mariani cultores omnes confidentiâ & lætitiâ, cum admonitus sub extrema mortem fortiter suscipere, *Ego*, inquit, *Patres mei licèt non meis meritis, fide non dubiâ speq; firmissimâ &c. mortem quasi Virgo Sponsum exspecto.*
1564.	1084.	Joannes Feckenamus pugil Deiparæ suprà laudatus omnem Elisabethæ Anglorum Reginæ amorem favoresque aspernatur, pro Regina Cælorum ejusque Filio militans, reiecto qui oblatus erat, Cantuariensi Archiepiscopatu, in carceres rursum de-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		detrusus, liber esse non desinit, liberrimè Hæreticorum errores damnans & confundens.
1565.	1085.	Iterùm egregius è Schola Magistræ Sapientiæ Montis-Serrati Cœnobio Doctor sese Orbi prodit Hieronymus Lauretus Catalanus, Domicilij illius æternum decus, inter scriptores sui sæculi principes ob admirabilem scribendi Methodum & ordinem referendus, qui de sequuturis sæculis æternùm meruit lectissimis duobus voluminibus *Sylvæ Allegoriarum.*
1566.	1086.	Ad præmia æternitatis vocatur hoc anno sanctæ memoriæ Abbas Ludovicus Blosius, quem quia Orbis jam universus novit, & Mariani imprimis clientes, sinu perpetuo fovent, ipsum amore omnium veneramur, & Divinæ Matris favores gratulamur.
1567.	1087.	Memorabili rursùm merito Cæli Reginam Cælestini nostri hoc anno demerentur, instituto per Ordinem universum Præsentationis Deiparæ festo, cum Octava celebrando.
		Moritur eodem anno Ven. P. F. Franciscus de Daurott Blandiniensis Abbas, Philippo Hispaniarum Regi charissimus, primus ab eodem Gandensium Episcopus designatus, quem tamen honorem constanter reijciens, deprecatus, ut suo se cucullo solaretur, impetravit. Fuit Dei Genitrici longè addictissimus, per quam obtinuisse precibus videbatur, ut ipsâ ejus natali vitâ mortali defunctus, cælo nasceretur.
1568.	10"8.	Claret Ven. Vir Joannes Evangelista de Neapoli Monachus Casinensis, ex familia Ill. Mormiliorum, Cultor Deiparæ singularis, in ejusdem cultum ingenium nobile plurimùm exercens, aliaque inter insignem de laudibus B. M. V. librum scribens, in ejusque calce Psalterium ejusdem elegiacè complexus, sed & aliud volumen patriâ linguâ de laudibus B. M. V. composuit, suamque devotionem omni posteritati egregiè commendavit.
1569.	1089.	Ad coronam Regni æterni vocatur insignis ille domûs Deiparæ Montserratensis Domesticus beatæ mem. Joannes Clanonius, sive Cianones, decrepitâ ætate senex, S. Ignatij de

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Loyola Institutor meritissimus, de quo superiùs jàm satis diximus.
1570.	1090.	Admirabili vitæ sanctitate illustrat Hispanias B. Ludovicus de Strada noster, inter lectissimos familiæ Marianæ Hortensis restitutores accensendus, verè sæculi sui miraculum æternum Reformationis sanctissimæ Sydus, ad quem velut oraculum recurrere in rebus gravissimis Philippus II. Hispaniarum Rex consuevit, nec minùs prælia sua Joannes de Austria, tam potenti apud Dominam ejusque Filium deprecatori commendanda judicavit, cum hoc in prælia ruente Ludovicus velut alter Moyses manus ad orandum extenderet. Cujus oratio quam fervens esset, non semel patuit, cùm inter orandum Divino splendore circumdari, & Angelicis spiritibus cingi sæpiùs visus esset.
1571.	1091.	Hieronymo Socherio S. R. E. Cardinali, Marianæ Cisterciensis familiæ nostræ longè meritissimo Generali, Viro incomparabili, hoc anno mortalibus valedicenti, sufficitur apud Cistercium Nicolaus Boucherat, dignus item tantâ Matre Vicarius, tantæ familiæ Præses, sub quo nova Deiparæ Congregatio, etsi sub nomine SS. Mauritij & Lazari instituitur.
1572.	1092.	Reginæ Martyrum patrocinio sub hostibus fidei constantissimè in Belgio & Hollandia, domestici ejus plurimi è familia Cisterciensi constantiam suam exerunt, & fidem ac fidelitatem proprio sanguine consignant.
1574.	1094.	Initia Principatûs nobili monimento insigniens magnus Hetruriæ Dux Cosmus Medicæus, is qui S. P. N. BENEDICTI Regulam versare assiduò in manibus solebat, causamque rogatus: *Ex qua regendi populos optima caperet documenta*, respondit. Idem qui sub eâdem insignem Equitum Ordinem instituit, is, inquam, Cosmus Salvatricis, seu *Salutis Infirmorum*, ut Lauretana loquitur Ecclesia, DEI Genitricis honori nobile condens Xenodochium, Isidorum nostrum Montaucium S. MARIAE de Florentia Monachum, magno nomine Virum, S. MARIAE Novæ, sic enim dici volebat Xenodochium, summa

cum

Ann. Chr. | S.P.N. | cum auctoritate Præsidem creat, ipsiusque juxta Matrem misericordiæ sinui, infirmos & pauperes commendat, ut qui auctores olim præcipui erant Xenodochiorum, tanto post etiam iisdem præsiderent.

1576. 1096. Mortuo Patre Maximiliano II. missa in Hispaniam ejus filia Margarita, ad Montem-Serratum concedens, Deiparam coram Statua orans, ut se Sponsam Christo conciliaret, annuente, (res mira!) Deiparæ Statuâ, Princeps cultello scriptorio pectus vulnerans, inde manante sanguine hæc scribit: Hoc sanguine meo de corde meo sumpto, consecro & dedico me tibi Jesu in Sponsam, oroque humiliter, ut Virgo Maria Mediatrix mea esse dignetur, in cujus fidem hoc confirmo, Margarita. Iterumque annuit Statua.

1577. 1097. Immortali merito celeberrimam illam & verè sanctissimam magnæ Virginis familiam, absolutissimam Ordinis Reformationem sub nomine & patrocinio beatissimæ Matris admirabilis, Fuliensem vulgò dictam instituit B. Joannes de la Barriere, vir nullo unquam ævo satis celebrandus, tanto quidem vitæ rigore suos ad primævum Ordinis antiquissimi vigorem revocans, ut tam ipse quàm Sancti ejus Consodales miraculo quasi essent, & incarnati Angeli haberentur, admirabili vitæ genere verè Angelorum Reginæ domesticos se esse comprobantes.

1578. 1098. Stupendo & memorabili imprimis exemplo quadraginta Magiensis in Hybernia Cœnobij Monachi cum suo Abbate, ipso pervigilio Assumptæ Virginis ab hæreticis in Choro ante Venerabile Sacramentum agonem suum Domino commendantes, crudeliter interempti, cum ignarus rei Æconomus ex agro seu alijs negotijs ad Vesperas occurrit, & suo quemque jacere mortuum in sanguine conspicit, questus Cælorum Reginæ in tam solemni festo ejus laudes cessare, subitùm consurgere mortuos intuetur, & Abbate Vesperas inchoante, reliquos Angelicis jam potiùs quàm humanis vocibus ac cantu prosequi, iisque absolutis ad eundem statum Martyres redire, tanto mi-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		raculo totam mox per Hyberniam propalato, & labante re Catholicâ plurimùm confirmatâ.
1579.	1099.	Belgium illustrat B. Maria de Satillon Bellopratensi in Cœnobio Deiparæ se devovens, non tam ancilla ejus, quàm Commater quasi & nutritia Salvatoris facta, castissimis pueritiæ Jesu amoribus deditissima, quæ cùm repræhenderetur sæpiùs, quòd in contorquendis filis minùs industria esset, observata denique causa fuit, per rimam quandam cellulæ, ludens in oculis ejus puerulus elegantissimus, quem ipsa pedibus ejus advoluta adoraret.
1580.	1100.	Moritur dilectissimus Deiparæ novæ Reformationis de Grottis domesticus Ven. Placidus, plurimos Dominæ suæ famulos lucratus, de quo Lucas vitæ scriptor: *Quantùm iste*, inquit, *Religioni profuerit, si plenè ostendere velim, novo ac longo tractatu opus esset.* Ut videas quantùm etiam simplices conversi possint in negotijs Dominæ nostræ efficere, quantumque ejus gratiam demereri.
		Claret Sylvanus Razzi Florentinus, Deiparæ in sacra ejus familia Camaldulensi emancupatus, linguæ Hetrusiæ alter Cicero appellatus, qui plurimis ad æternitatem monimentis suum ergà Cæli Reginam amorem prodidit, aliaque inter vitam ejusdem admirabilis Matris edidit, librum item de ejusdem miraculis, & Collectorium Orationum ad eandem, ejusque Filium scripsit.
1581.	1101.	Ingenti prodigio Camberonense suum in Belgio servat Augustissima Dei Mater, hostibus hæreticis jam muros scandentibus, sed visâ Candidatorum in equis per hortos Cœnobij discurrentium multitudine illicò in effusissimam fugam conjectis.
		Extinguitur eodem anno insigne illud Hispaniæ Sydus B. Ludovicus de Strada, Marianæ Reformationis & familiæ decus æternum, & insigne dum viveret firmamentum, de quo prolixiùs in Menologio & Annalibus nostris agimus.
1582.	1102.	Cælum felicissimo suo transitu exhilarat B. Elisabeth Monialis

Ann. Chr. S.P.N. nialis de Arauca, quæ ab utero Matris suæ Virginum Virgini jam debita, præventa gratijs formata est dignior, ut in Gynecæo Reginæ Cælorum, Magistræ Apostolorum, cum plausu mortalium & immortalium appareret, cujus nativitati SS. Simeon & Judas Apostoli visibiliter adfuerunt. Mundum proin puellula fastidiens cùm vix agnosceret, nihil quàm Dominæ suæ servire exambijt, & in ejusdem Cœnobio de Arauca sese emancipavit, non minùs à morte quàm in vita miraculis illustrata, cùm vivens etiamnum solâ manuum impositione ægrotos prodigiosè sanaret.

1583. 1103. Turbatissimæ in Lusitania res Alcobaciæ beatissimæ Virginis Cœnobio nuper in Commendam tradito, neque multò post quam tradiderat, Regum extincta familia, ipso id verbis disertissimis prædicente olim Doctore nostro Mellifluo, qui datis ad Alphonsum Lusitanorum primum Regem litteris, hæc inter alia spiritu Prophetico Reginæ Prophetarum lactens filius, de illa Dominæ suæ hæreditate: *Illud condentes Monasterium*, inquit, *in cujus duratione & integritate, indelebile habebitis elogium regni vestri, & in divisione redituum dividetur à vobis Corona vestra.* Præfuit autem hoc anno juxta Commendatarium Laurentius à Spiritu sancto primus triennalis Abbas, Vir insignis, at qui Regiæ familiæ interitum juxta prædictionem intueri debuit, & tanti juxta oppressionem Cœnobij tolerare.

1584. 1104. Iterùm nova in terris Cæli Mariani stella Supero illi inseritur B. Rudolphus noster Veronensis, promotâ gratissimâ Virgini Ordinis Reformatione meritissimus, æternum novæ Montis Coronæ familiæ decus, quem Lucas Ruhensis *Scrinium virtutum, regularis vitæ exemplar, & vitæ solitariæ normam appellat.*

1585. 1105. Hoc tandem anno solemnissimè Festum Præsentationis B. M. V. celebrari instituit Sixtus V. Pont. Max. olim per Nicolaum Abbatem nostrum, ut suprà vidimus, primitus celebratum, & à multis jam Congregationibus nostris ante Sixti Papæ Sanctionem magnâ devotione observatum.

Floret

Ann. Chr. | S.P.N.

Floret hoc eodem tempore Ven. Christophorus, dictus à Visitatione eximiæ pietatis & eruditionis, Alcobatiæ Monachus, qui pro sua ergà Deiparam dilectione super verbis quæ legitur locuta eadem magna Mater, elegans satis volumen publicavit.

1586. 1106. Labantis sæculi Sydereum decus in Hispanijs enitet, beatæ memoriæ Ignatius Morerolæ Monachus, qui cùm in multa sanctitate vitam finijsset, vitæ denuò restitutus, cùm linteum quo facies mortui velata esset, removisset, lætissimam primum Antiphonā illam: Regina Cæli lætare alleluja &c. canere cæpit, & admiranda quæ inter Superos viderat, recensere. Et inter alia: *Vidi ipsam DEI Matrem stellis coronatam, & lucidissimâ veste & pulchritudine circumdatam, quæ mihi dixit, se nostram esse Patronam &c. Gaudete Patres &c. tantum enim præmium, tanta gloria, tantaq; beatitudo vos manent, &c.* Quibus dictis sacrum denuò composuit corpusculum, inque manus Domini ac Dominæ, necnon SS. BENEDICTI & Bernardi, qui ipsi visibiliter apparuerant, purissimam efflavit animam.

1587. 1107. Deiparæ singulari ope in suis verè BENEDICTAE maximis egregiè perfunctus difficultatibus emergit B. Joannes Barerius noster, & multi insigni præstantiâ viri, novæ Marianæ Fuliensium Familiæ dant nomen, quæ dicta Fuliensis correptiore idiomate, quasi Foliensis, à folijs arborum, quibus impressa Imago B. M. Virginis Cœnobium illud illustrantis, quæ in hodiernum usque diem miraculis gloriosa ibidem frequentatur & colitur, non sine summa frequentantium consolatione & fructu.

1588. 1108. Ne huic Fuliensium B. M. V. Congregationi & Reformationi sua quoque æmula BENEDICTI Scholastica deesset, paria viris, & stupendâ sanè generositate molitur Donna Margarita de Polastron Tolosana, quæ magis accensenda Fundatoribus, Novam Virginum Fuliensium ad amussim Regulæ S.P.N. familiam Divinæ Matri Angelorum Reginæ congregat hoc anno, ijsque confundendis, qui nostræ ætati Regulam tam rigidam

An n. Chr.	S.P.N.	
		gidam convenire negant, tenerrimarum puellarum exemplis docet, masculis animis, etiam virgunculas præditas, qui BENEDICTAE inter mulieres non minùs quàm BENEDICTO suos conatus seriò commendarent.
1589.	1109.	Tenerrimas puellas nunc produximus Amazonibus animosiores, nunc tenerâ ætate puerum, & quidem servioris militiæ Tyrunculum, F. Martinum Vallis Ecclesiarum Novitium, paria magno Antonio jam ausum, redivivum Antonium qui vix gustato sacri Tyrocinij anno cum larvis infernalibus sæpè congressus, quod puerum sibi metuendum spectabiles terrere & evertere sperarent, nihil proficientibus minis, tollere è medio conantur, & jam jamque intercluso spiritu præfocassent, nisi pugili suo præstò fuisset magna Mater puerum JESUM inter ubera fovens, cujus conspectu territi cacodæmones profugêre. Processit animosior deinceps ad pugnam Novitius, in cujus invictum animum cùm nihil proficerent inferi, tam diris subinde flagris innocentissimum concidêre, ut sæpè ipsum Fratres & Novitiorum Magister cicatricibus & livoribus plenum sine sensu reperirent. Ita depugnavit hoc ferè anno patientiâ infestissimos sibi hostes, & Tyrunculus licèt emeriti Mariani militis lauream à Regina Martyrum accepit, contracto à flagris illis inferorum ventris fluxu, quo decedens, ad triumphos æternos miraculum Tyrunculi Benedictino-Mariani evolavit.
1590.	1110.	Demeretur Cæli Reginam maximis meritis sanctæ memoriæ Marcus de Villalba Fiteri in Regno Navarræ Abbas, Generalis Cisterciensium Marianæ familiæ per Hispanias Reformator, qui hoc ipso anno plenos meritorum manipulos secum Cælo intulit, cujus Virgineum Corpus septimo post obitum anno adeò repertum est incorruptum, ut eâ primùm horâ sepulchro illatus videretur. Condidêre denuò thesaurum hunc nulla pro dignitate æstimatione, & calcis insuper vivæ cumulos injecêre, cùm ecce post multos demùm annos non aliter atque antea incorruptissimum reperêre.
1591.	1111.	Ecce novum Reformationis ejusdem Marianæ hoc anno fru-

Ann. Chr. S.F.N ctum, venerabilem Laurentium Gongalez, Vallisbonæ Abbatem verè bonum, perfectione eminentissimum, qui Dominæ suæ familiam lucratus, ne ad Coronam solus occurreret, suæ præscius mortis, tres insuper alios eodem vocatos designavit, ipse autem supremo imminente agone, flexis genibus, oculisque ac manibus in cælum erectis, hilari vultu circumstantes alloquens, *Fratres*, inquit, *video Gloriam DEI*, cumque dicto expiravit, cujus ab obitu facies Angeli simillima visa, & signa alia sanctitatisque argumenta se prodidêre.

1592. 1112. Montis-Serrati Domina misericordiæ Mater nunc in Domesticis, ut vidimus, mox in exteris & peregrinis prodigiosa, hoc ipso anno puerum mortuum vitæ reddens, supplices sibi parentes insigni miraculo solatur. Sed & alio inter nostros loco, eodem Hispaniarum Regno, in Valle Venaria magnis miraculis eadem se prodit, ubi miraculosam ejus Imaginem hoc ipso anno Philippus III. Hispaniarum Monarcha tribus ex puro auro coronis donat & coronat.

1593. 1113. Claret egregius Cæli Reginæ servus, P. F. Laurentius de Zamora, non tam eruditionis laude, quàm opinione celeber sanctitatis, quem magnopere de re litteraria & Christiana meritum, *Ecclesiasticæ dictionis Tullium*, nonnemo, *Theologiæ Homerum*, *Rationum Fidei Aristotelem*, *& Paulum in pulpito Christiani differentem* appellat. Is præter alia ingenij sublimia admodum monumenta, suum ergà Deiparentem affectum Cælo terrisque probaturus, decem omninò libros de prærogativis & laudibus Dominæ suæ, Matris & Virginis admirabilis scripsit. Alium item de fuga ejusdem B. M. V. in Ægyptum, hisque ipsis conatibus suis ut plurimos amoribus Marianis & piâ æmulatione succendit, sic Cultoribus Deiparæ universis se æternùm commendavit.

1594. 1114. Nova iterùm Reginæ Apostolorum & Martyrum titulo meritò nuncupanda, nuperrimè exorta latiùs nunc se prodit Ordinis nostri Mariana Congregatio, Anglicana vulgò dicta, quod ex Anglis potissimùm constaret, & Apostolico ex Zelo re-

Ann. Chr. | S.P.N.

reducendæ ad gremium Ecclesiæ illius Regni instituta esset, Professoribus ejusdem lucrandarum animarum studio in omne se vitæ discrimen conjicientibus. E quibus sub hunc ferè annum nomen sacræ huic militiæ dantes, ut paucos afferam, enituêre: Dominus Gregorius Sayrus Orbi Catholico doctissimus in SS. Theologia lucubrationibus notissimus, D. Thomas Præstonus, D. Anselmus de Mancestria, D. Antonius Martinus, Augustinus de S. Joanne, Vir magni animi, summi Zeli, præcipuæque industriæ & imperterritæ constantiæ, F. Joannes de Meruinia, posteà Martyrio affectus, ut & F. Marcus Lambertus, F. Maurus Scottus, F. Georgius Gervasius, diversis temporibus beatâ morte pro fide Christi constanter suscepta, sæculo erepti, Cæloque inserti.

1595. 1115. Vitalis Zuccolus Patavinus Abbas claret, insigne Congregationis S. Justinæ Sydus, cujus alia inter præstantissimi ingenij monumenta excellit Mariani illius *Cantici Canticorum* deuotissima expositio, quam ipse sexaginta sermonibus disertissimè prodidit, eoque omnem insigniter demeruit posteritatem.

1596. 1116. Deiparæ in suis habitantis & regnantis illustre specimen reddit Congregatio ejusdem magnæ Matris à Monte Syon cognominata, Filiæ Syon familia lectissima, quæ admirnadis sanctioris vitæ exemplis Hispaniarum Regnis facem præfert, viris non minùs eruditis, quam Sanctis illustrissima.

1597. 1117. Meritissimus de Domina nostra promoto insigniter ejus honore, dignissimus ejusdem Vallisoletanæ Cangregationis Visitator & Restaurator Generalis, B. Sebastianus de Villos-Lada ad præmia immortalitatis vocatur, qui in celeberrimo illo S. MARIAE Vallis Venariæ Cœnobio eidem Dominæ in cucullo se devovens, summâ observantiâ eamdem coluit, Abbas posteà Dominæ nostræ de Buesso, totius denique sacræ ejus familiæ factus Paterfamilias Generalis, in cujus etiam tam dilectæ suæ Tutelaris lectissimi & lætissimi Festi Conceptionis pervigilio suam ipse mortem prædixerat, vita defunctus est, ut festum ipsum in Cælis celebraret, multis cùm in vita tum post

Ann. Chr. S.P.N. mortem miraculis clarus, mirâ odoris cælestis fragrantiâ è sacro ejus cadavere, quin & ex Imagine ejus alicubi asservatâ, dimanante: ut facilè adverteres post ipsam cucurrisse cui dicitur: *In Odorem unguentorum tuorum currimus*, ipsamque è sacro ejus corpore & Imagine eam odoris fragrantiam diffudisse.

Extinguitur eodem anno invictus magnæ Reginæ pugil, Calvinistarum Virginitatis Marianæ hostium malleus & fulmen, Genebrardus noster, è Priore Monasterij B.M.V. Semuriensis Aquensium Archiepiscopus, præclarum Ecclesiæ litterarumque Sydus, ab Opmero appellatus, de quo alios etiam inter amantissimus etiam ille Divinæ Matris beatæ mem: Franciscus de Sales Genuensis Episcopus lib II. de amore DEI, cap. 2. cui Genebrardo mortuo, immortuo ære alieno parentavimus:

> Abstulit una dies ævi decus, ictaque luctu
> Conticuit sacræ tristis facundia linguæ.

1568. III 8. Inter meritissimos honoris Mariani Assertores in recenti ejus familia Fuliensi eminet, Domumque ipsius egregiæ sanctitatis exemplis reddit celebrem, Ven. Joannes Baptista à S. Bernardo in Religione cognominatus, dignus tanto nomine, tantâ Matre Bernardus, ut in vita, sic & in morte magnis à Numine gratijs donatus. Decessit in monte S. Sylvestri, in nocte sui obitus visionem aliquam è Cælo se habere indicans, monte tunc longè latèque resplendente, ita ut peregrini Lauretani eo transeuntes, cum magno stupore ad Monasterium occurrerent, tam novæ lucis mediâ nocte causam sciscitantes, ut haud dubitare possis eam inter lucem Dominam non minùs Domestico suo, quàm peregrinos ad splendorem Dominæ occurrisse.

1599 II 19 F. Gabrielis Nucalensis Novitij illustris memoria, cujus nescio, cui meliùs anno Natalem, quo terris an cælis natus est, assignemus, sub hunc tamen annum è litteris Magistri & arbitri conscientiæ ejus Francisci Bivarij ad nos datis intelligimus, seu conjecturamur. Is dignè nomine suo verè Mari-Angelus, Angelicâ morum elegantiâ, puritate Virgineâ, Virginum Virgini

Ann. Chr. | S.P.N. gini commendatissimus, quæ tam amici sibi nominis clienti, non ut Domina, sed verè ut pia, ut propria Mater amantissimè consuluit, & raro sanè nostri sæculi exemplo, ipsa spectabili formâ Gabrieli suo apparens, neque tam nutu, quàm disertâ ac maternâ voce, haud aliter atque manu ducens, ipsum de vocatione suâ edocuit, & ut sacram Reformationem nostram Cisterciensem amplecteretur admonuit: namque id vitæ institutum Filio suo & sibi perplacere. Decessit Tyrunculus etiamnùm Nucalensi in Novitiatu lectissimus & dilectissimus Matri tantæ Gabriel, & verè consummatus in brevi explevit tempora multa, absolutissimis & perfectissimis viris ipso in Tyrocinio comparatus, inter supremi agonis dolores quo promptius pateretur, Christum recentibus plagis & coronâ spineâ redimitum spectabili formâ intuitus, sese ad patientiæ coronam & patriam æternam invitantem.

Extinguitur eodem anno splendidissima alia Vallisoletanæ Marianæ familiæ in Hispanijs facula Ven: P.F. Joannes de Castaniza, magni illius Doctoris Alphonsi Curielis animus, qui & moriturus eam præ alijs gratiam exambijt Joannem hunc suo corpori adjungi quasi eo animandus, cujus Epitaphium non possumus quin hic inseramus, ex quo Mariani Clientis merita æstimentur.

Venerabili Magistro, Fr. Joanni de Castanniza Benedictino, sermone aureo, ore fœcundo, in dicendo suavi, in persuadendo miro; Apostolo Paulo prædicatione simillimo, ob amabilem vitæ suæ sanctitatem honori & decori omnibus, post oblatas sibi à Philippo II. præclaras dignitates, ac magnificè spretas, charissimi sui. D. M. Ildephonsi Curiel petitione propè ipsum tumulato. Obijt XVIII. Oct. Anno M. D. LXXXXVIIII.

1600. 1120. Æternum Galliarum, Benedictini Ordinis, imò Ecclesiæ universæ supremâ ætate hâc nostrâ decus, non impar magnis Cæli Syderibus Sydus, Cælis hoc anno inseritur B. Joannes Barrerius noster, S. MARIAE Fuliensis sive Foliensis Abbas

Ann. Chr.	S.P.N.	
		quondam Commendatarius, verus dein ex Mercenario Pastor, & amplissimæ Marianæ Congregationis Author & Fundator præcipuus, miraculis & revelationibus cùm in vita tum à morte commendatissimus, cujus nemo satis laudes explicare possit, nemo satis mirari discipulorum ejus MARIAE Domesticorum ergà Dominam suam devotionem, & mirabilem vitæ rigorem & sanctitatem.
1601.	1121.	Marianæ Apostolicæ Anglicæ Congregationis primitias Divinæ Matri ejusque Filio consecrat Proto-Martyr novæ familiæ R. P. F. Marcus Barckvvortt, aliàs Lambertus, qui post diuturnum carcerem, ex quo facilè evadere potuisset, & alijs evadentibus & invitantibus se adjungere, maluit tamen pro majore DEI gloria ultimam mortis sententiam exspectare, 27. Febr. Londini Martyrio affectus, & Reginæ Martyrum, in cujus nomen iuraverat, sociatus est.
1602.	1122.	Interjungamus denuò viris mulierem, dignam nomine suo, etsi dignationis potiùs credamus Dominæ admitti ad participationem nominis tam eminentis. Maria hæc fuit Abulensis Mariani Gynecæi Virgo lectissima, quæ ut in gratiam Dominæ suæ liberiùs nomine frueretur, MARIA à Christo dici voluit, quasi parum esset à Magdalena seu alia quavis Mariam derivari. Cisterciensium nostrorum magna tunc per Hispaniam colluxêre lumina, hæc tantopere exsplenduit, ut demeruisse magnopere Dominam videretur, tantis splendoribus non tam Congregationem quàm nomen MARIAE illustrando, humilitatis, paupertatis, & mortificationis exemplis admiranda, quasi quæ cum viris non solùm certare constituisset, sed cum Angelis ipsis studio puritatis & devotionis.
1603.	1123.	Fuliensis DEI Genitricis recèns & florentissima Congregatio, quæ nuper in Barrerio Benedictum habuit Ordinis Fundatorem, nunc in Petro Bernardum meruit primitivi flores Servatorem, promotorem, haud frustrà à Divo Bernardo cognominatum, dignum qui alter à Barrerio Marianæ familiæ Generalis esset, Reginæ Prophetarum meritis, secretissimus cogi-

tatio-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		tationum Inspector, cujus singulæ actiones (inquit Carolus à S. MARIA, aspectus, verba, & totus homo exterior, interni decoris indicium, nihil non sanctum & supernaturale spirabant.
1604.	1124.	Iterùm non unum sed plura Deiparæ, nostrorum occasione conduntur illustrissima monimenta, Abbatia nimirùm Pacis pro nostri Ordinis Monialibus reformatis Duaci; ut à Bruxellis ope Serenissimorum Archiducum Alberti & Claræ Eugenij aliud Monasterium pro nobilibus Virginibus Anglis Ordini nostro nomen dantibus.
		Novi reformatæ Marianæ Congregationis fructus à Monte Syon in Hispaniam redundant universam, à Matre nimirùm Sapientiæ, doctissimi juxta ac sanctissimi Discipuli, ijdemque magni Scholarum Magistri, Sydera Universitatum, quorum Catalogum ingentem Chrysostomus Henriquez noster in suo Phœnice recenset, & nos plurium in Annalibus nostris meminimus.
		Æterno Engelberti Abbatis Admontensis merito suavissimus ille ab ipso compositus honori magnæ Virginis Hymnus: *Omni die dic MARIÆ mea laudes anima &c.* latiùs vulgatur, multo deinceps Cultorum Deiparæ usu frequentatus, reperto hoc anno B. Casimiri Principis Poloniæ sacro corpore, & in ejus pectore rithmis eisdem, ab ipso dum viveret tantopere adamatis, & quotidie recitatis.
1605.	1125.	Nova rursus sub auspicijs Divinæ Matris Reformatio in Gottlandia, reformante Romani Pontificis auctoritate illic Ordinem, magno illo & spectatissimo sanctitatis & doctrinæ meritis Viro Ven. Laurentio de Zamora, quem haud aliter atque lapsum Cælo Angelum, non plebs solùm devota, sed & magni Principes venerati sunt; fructusque deinceps insignis ejus labores consequutus est.
		Ipso anno reperitur in tumulo Bonifacij nostri VIII. Pont. Max. corpus incorruptum, cùm jam trecentis duobus annis sepultum quievisset, de cujus ergà Deiparam affectu suo loco diximus.

Mori.

1606. 1125. Moritur visionibus & sanctitatis signis celeber Ven. Bernardus de Escouar, longè celeberrimus illius Marianæ familiæ Montis Syon Abbas meritissimus, inter præstantissimos magnæ Virginis Cultores ejusque Domesticorum Reformatores accensendus, cùm totius Congregationis Generalatum magnâ sapientiæ laude administrans, magnis laboribus Dominæ suæ se probasset, & absolvi ab eo demùm onere impetrans, ad suum Bonæ-Vallis Cœnobium revertisset, illic sanctissimo fine consummatus.

Sequitur eodem anno Bernardum hunc Patrem & Institutorem optimum, Ven. Justus ex celebri Mazienzorum de Zorilla familia ejusdem Cœnobij Montis Syon Monachus, ab illo apparente ad patriam æternam vocatus, ipsâ vigiliâ Annuciationis morte abreptus, ut quod in terris toties tanto cum gustu Ave & Salve Dominæ dixerat, in Cælis æternùm congeminaret.

Devovet hoc ipso anno & emancupat insigni mancipatus genere sese Dominæ suæ Ven. Vir Bernardus Cathalanus, Institutum nostrum de Calatrava professus, Deiparæ, ut apparet, longè amantissimus, cujus devotionis copias multorum usui hic subijcimus.

MARIA Virgo sanctissima, Mater Domini nostri JESU Christi veri DEI & hominis, Advocata & Protectrix peccatorum, ego illorum major, & qui magis tuo indiget favore, ô Pietatis & misericordiæ Regina, ad pedes tuos provolutus, me in perpetuum tuæ Majestatis servum offero, & humiliter peto in talem admittas obtineasque à tuo Filio eam gratiam, quæ ad tibi placendum in omnibus meis cogitationibus, verbis, & operibus requiritur, diligendo ex toto corde Divinam Majestatem quæ cogitavero, locutus vel operatus fuero, vel omisero cogitare, dicere aut operari, ad supremum honoris & gloriæ sanctissimæ Trinitatis dirigantur: cui meæ actiones gratæ erunt, si Tu Virgo Immaculata hanc donationem & oblationem, qua me in perfectum servum tuum offero, digneris admittere. Et

precor

precor S. Joseph Sponsum tuum, Angelum Custodem, S. Bernardum & S. Benedictum, SS. Joannem Baptistam & Evangelistam, Vincentium Martyrem, & Vincentium Confessorem, SS. Guilielmum & Honoratum, S. Annam felicem Matrem tuam, S. Magdalenam, Sanctos Apostolos, & omnem Curiam Cælestem, Angelos & Spiritus beatos, velint pro me intercedere, quatenus Tu dignissima Dei Mater me in perpetuum servum recipias, possimque Te imitari in voluntatis propriæ resignatione, & profunda humilitate, cæterisque virtutibus, quibus ornata fuisti. Et ut omni tempore constet, me Tibi ipsum tradidisse, & ad ejus rei perpetuam memoriam, & ut omnes qui præsentes litteras viderint, sciant me tuum esse perpetuum famulum, ac Lucifer & omnes inferni ministri desperent, nullamque partem se in me habituros esse intelligant, hanc chartam propriâ manu scripsi, meo nomine subsignavi, & armorum meorum sigillo communivi, in Regiâ Aulâ Legionensis Urbis, ipsâ die Nativitatis Salvatoris nostri, recepto priùs ipsius sacratissimo Corpore, Anno 1606. ætatis meæ 38. & omnes creaturas ad quas hujus oblationis notitia devenerit, contestor & provoco, ut si (quod Deus avertat) gravibus meis peccatis id exigentibus, à rectâ virtutum via deviarem, indicent mihi & memoriæ repræsentent, me non esse meum, idque solùm facere, loqui & cogitare posse, quod gratum sit Angelorum Reginæ, Dominæ meæ.

Perpetuus Mariae Virginis, Dominæ meæ Servus

F. Bernardus Catalanus.
Et ego indignissimus F. Gabriel tuus.

Incertum nobis quo dein anno obierit diem suum Bernardus, obiit tamen felicissimè SS. Patre nostro Benedicto & Bernardo spectabili formâ præsentibus, uno à dextris altero à sinistris ejus manus gratiosè sustentantibus, eique animum ad-

Ann. Chr. | S.P.N dentibus, donec solutum corpore ad Dominæ suæ solatia & palatia æterna deducerent.

1607. 1127. Admirabili vitæ sanctitate mirificè effulget B. memoriæ P. F. Candidus Monachus Nucalensis, singulare fulcrum & ornamentum Reformationis nostræ in Anglia Cisterciensis, Deiparenti longè devotissimus addictissimusque, qui prælia Dominæ suæ in Hybernia aggressus, verbis, virtutibus, & stupendis miraculis, Virginitatis ejus hostes felicissimè profligavit, & solus ipse Hæreticorum quatuor millia ab Hæresi retraxit.

1608. 1128. In Cælos evolat hoc anno Ven. P. Bernardus Escuderus, Monachus & Abbas Vallis bonæ, promotâ insigniter novâ sub auspicijs beatissimæ Virginis Cisterciensium nostrorum Reformatione meritissimus, Angelicâ puritate Vir, qui Novitiorum imprimis Marianorum curam quàm diligentissimam habuit, quibus insigne amoris relinquens monimentum, Meditationũ ad eosdem librum unum scripsit Vallisoleti A.C. 1602. typis impressum.

Ipso anno dilectissima illa Cælorum Reginæ novæ ejusdem familiæ Conditrix S. Francisca Romana solemnissimè à Paulo V. Pont. Max. Sanctorum albo adscribitur.

1609. 1129. Aliquot jam Martyrum subscripta sanguine & confirmata Marianæ Anglorum Societatis & Congregationis pietas, frendente successibus Infero, calumnijs nonnullorum inferis adsentientium petitur, conversioni Hæreticorum intendere, quibus nihil præter contemplationis studium & chori officium conveniret. Triumphârunt nihilominùs de æmulis Mariani nostri Clientis, causamque ipsorum suscipiens Salmanticensis Universitas, producto Bonifacij IV. Decreto, Apostolicos ijsdem labores convenire definijt, multò deinceps ferventiùs in idipsum nostris incumbentibus, & Dominam suam ejusque Filium demerentibus.

1610. 1130. Horum deinceps ferè quoad merita, toleratosque labores Joannes de Meruinia, qui inter primos etiam huic Reginæ Apostolo-

Ann. Chr. S.P.N. ſtolorum & Martyrum Sodalitati nomen dederat, ſexies captus ab Hæreticis, quinquies DEI providentiâ ad multorum ſalutem liberatus, ultimùm denique ipſâ Conceptionis Dominæ ſuæ ſolemni die Judicibus præſentatus, admirabili magnanimitate conſtantiam ſuam prodidit, poſt biduum ſuſpenſus in patibulo, evúlſiſque inteſtinis, in quatuor diſſectus partes inſigniter triumphavit.

Ipſo anno feliciſſimè moritur Ven. P. F. Placidus à S. Mauro, S. MARIÆ Fulienſis in propria ejus æde & familia Domeſticus & famulus diligentiſſimus, qui familiari admodum Deiparæ cultoribus mortis genere conſummatus, cygni naturam imitando, canendum inter mortuus, *DEUS in adjutorium meum intende &c.* intonuit &c. quod proſequentes Fratres Officium ejuſmodi circa lectum adimpleverunt. Sacro exin Viatico reficiendus, ſolus è lecto repentè proſiliens cum incredibili humilitate genuflexus adoravit præſentem Chriſtum & ſumpſit. Obijt ipſâ S. Mauro ſacrâ die, uti initio morbi prædixerat, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret finem diei ſuo Tutelari ſacræ.

1611. 1131. Viros imitatæ rurſum noſtri Ordinis mulieres, Viragines magnanimitate admirandæ, Fulienſium concitatæ exemplis, & ipſæ Cæli Reginam fragili in ſexu potentiſſimam mirificè honorant, & ſacrum complexæ rigorem ipſis viris exemplo & admirationi ſunt, è quibus Ven. Domina Maria de Beauillier, Reformationem Ordinis Marianam amplexa, in Monaſterio Montis Martyrum novum illic Virginum Martyrum Gynecæum inſtituit, & tenerrimas Virgunculas ad voluntarium rigidioris vitæ Martyrium ita permovit, ut ultroneæ ſeſe ad ea etiam offerrent, quæ ſupra rigorem Regulæ injungerentur.

1612. 1132. His eodem in Cœnobio adjuncta B. Margarita de Arbous, & Villamont Petri de Binac Burgundiæ Proregis ex filia neptis, Montem illum B. M. V. Martyrum dictum longè illuſtriorem reddidit, ipſa deinceps novæ Marianæ Congregationis Archiduciſſa facta, magniſque à Deipara favoribus nobilitata.

Ann. Chr.	S.P.N.	
		Cadit eodem anno illustris Virginis Filio victima R.P. Guilielmus Scotus, qui nova in Congregatione Anglicana Deiparæ Reginæ Martyrum inter primos de fundendo etiam (si ita visum Numini) sanguine nomen dederat, qui cùm propagandæ fidei causa nullum discrimen subterfugeret, tentus, & supremo Londini affectus supplicio, Lauream Martyrij promeruit.
1613.	1133.	Felici fine mortalitatis compedibus solvitur Ven. Vir P. F. Ambrosius Ferrariensis Monachus, qui ut erat Deiparæ devotissimus, ipsique sub peculiari ejus Cisterciensium nostrorum instituto emancipatus, cælestes inter orandum consolationes experiri meruit, easque inter gravi quandoque detentus infirmitate & lecto affixus, prodigiosè convaluit, cùm Virginis Filium cælesti splendore circumdatum, & candidissimâ (cujusmodi Divina Mater S. Stephano Abbati detulerat) Cisterciensium cucullâ amictum conspiceret.
1614.	1134.	Iterùm alius & revera magnus ex eodem Ferrariensi Cœnobio Deiparæ servus Ven. P. F. Nicolaus Fagan magnis virtutum splendoribus elucescit, missusque ex Hispanijs in Hyberniam & Watterfordiensis Episcopus ordinatus, Apostolorum Reginæ domesticum se esse indefesso studio in conversione Hæreticorum, sed & stupendâ patientiâ comprobat, idem miraculorum gratiâ à Numine donatus & commendatus.
		Moritur sub hunc ferè annum beatæ memoriæ Laurentius de Zamora, de Domina nostra, ut suprà vidimus, optimè & præclarissimè meritus, cujus etiam amoribus, velut Angelicus ille Doctor Thomas de Aquino, immoritur, dum, ut iste, in Cantica Canticorum commendatur, ad eadem æternùm audienda & cantanda ad ipsam Virginem, & Virginis Filium juxta ac Sponsum invitatus.
1615.	1135.	Dominam Matrem in servulo ejus mirificè honorat Virginis Filius, beatæ memoriæ P. F. Candidum stupendis sanè miraculis in conversione Hyberniæ juvando. Audiamus ipsummet magnæ Reginæ novæque ejus Congregationis Domesti-

cum

Ann. Chr.	S.P.N.	
		cum ad suum Nucalensem Abbatem hæc ipsa scribentem: *Dedit mihi Dominus exiguo virtutem faciendi signa in populo barbaro, qualia nec magnis Apostolis leguntur facta, ita, ut in nomine Domini nostri IESV Christi resuscitare à mortuis valeam corpora in pulverem ab annis multis resoluta. Nullus tamen credat me ob ista, sive ob hus similia parifaciendum Apostolis.* (Ecce discipulum Apostolorum Magistræ) *aut aliquibus perfectis viris, cùm exiguus sim, & peccator, & contemptibilis &c.*
1616.	1136.	Ad Superos evolat R. P. F. Dominicus Nucalensis, vulgò à Puero JESU cognominatus, eò quòd postquam se Dominæ suæ in felicissimo illo Cœnobio emancupasset, dies noctesque cum MARIA & Joseph nato sibique dato JESU puerulo inservire, summis in delicijs haberet, & ad Imaginem Pueri in dubijs omnibus, anxietatibus & periculis, velut amicum aliquem familiarissimum occurreret. Orandum inter sæpè extra mentem factus, & multa cælestium arcanorum mysteria contemplatus, miraculorum etiam gratia non caruit. Dissolvi & esse cum Christo cùm cuperet, post duos menses tempus suum definitum intellexit. Obijtque seu potiùs obdormivit, cùm nullâ infirmitate gravari videretur.
		Hoc ipso anno B. mem: Candidum Nucalensem etiam extinctum nonnulli volunt, miraculis à morte non minùs quàm in vita illustratum.
1617.	1137.	Extinguitur illustrissimum rursus Hyberniæ Sydus Beatæ mem: Nicolaus Fagan, electus Watterfordiensis Episcopus, Apostolicis laboribus commendatissimus, & Martyrum etiam Laureolam meritus, fustibus quandoque pessimè ab Hæreticis mulctatus, aliquando sclopo trajectus, etsi eo ex vulnere non mortuus, gravissimos tamen dolores perpessus, diutiusque lectulo decumbens. Fuit Cælorum Reginæ devotissimus atque addictissimus, cujus honorem & cultum insigni studio & industriâ promovit, ejusque Imaginem sumptibus emendicatis & collatione fidelium collectis ex Hispanijs advehi curavit, quæ

Ann. Chr. | S. P. N. | insignibus deinceps miraculis claruit; ipse etiam à morte signis quibusdam miraculosis à Deo commendatus.

Eodem anno ad superûm quoque coronas emigrat B. Maria Vela, Monialis Abulensis, Cælorum Imperatrici singularius devota, quam & ipsa magnis favoribus dignata est, namque ejusdem magnæ Matris, & Jesu Filij dulci præsentiâ & alloquio perfrui, cælestibusque revelationibus crecreari meruit, imò etiam afuefieri. Quæ denique vitæ hujus cursu feliciter exacto, raro & inæstimabili favore à Deo & Deipara honorata, Christi nimirùm spectabili formâ apparentis amplexu, nec non Virginis Matris, Virginei lactis in os instillatione, ut olim Doctor Mellifluus, accensa simul exsatiata æternùm sæculi nostri decus & solatium, exultans migravit ad Sponsum VIII. Cal. Octobris.

Ipso item anno elevatur solemniter jussu Philippi III. Regis Hispaniarum S. Mafalda Regina Castellæ, Sancij Portugalliæ Regis Filia, Aroquensis Monialis, Deiparæ quondam addictissima, cujus sacrum corpusculum post annos à morte 327. repertum est incorruptissimum, mirè fragrans, & in præsentia elevantis Episcopi miraculis illustratum.

1618. 1138. Lectissima illa Christi Sponsa, Reginæ Virginum devotissima & charissima ancillula B. Margarita de Arbous, ob sanctitatis famam longè jam lateque celebrata, Ludovici XIII. Galliarum Regis jussu Vallis Gratiæ Abbatissa postulatur, & multùm licèt obnixa admittere cogitur, latè exin, Marianæ Reformationis studio promoto & propagato.

Moritur eodem anno, imò immortalitate donatur Venerabilis Domina Antonia de Orleaus, Serenissimi Ducis de Longevilla filia Regum Galliæ cognata, Ducis Rhætij Marchionis de Bella Insula Conjux, quæ cùm Marito immaturè viduata esset, rigidissimum B. M. V. Fuliensium complexa institutum, novâ insuper inventione Dominam suam perinsigniter demerita, novam Monialium Benedictinarum primæ Regulæ, sub nomine B. M. V. de Calvario & S. Scholasticæ insti-

Ann. Chr. S.P.N. instituit, suoque ergà Matrem admirabilem, vulgò Dolorosam, pientissimo affectu magnis Religionum Fundatoribus accenseri meruit.

In Valle Rosarum propè Mechliniam, nova item Rosa hoc ipso anno subtracta terris, inserta Cælo est, B. Margarita cognomento Duyterhelst, ejusdem loci Monialis, quæ Dei Genitricis amore flagrantissima, ejusque cultui devotissimè addicta, ipsam vicissim benevolentissimam gratiosissimamque experta, spectabili formâ apparentem & ad se familiariter invisentem intueri meruit. Claruit spiritu Prophetico signis ac virtutibus admiranda, decessitque Idibus Maij.

Moritur eodem anno Ven. F. Franciscus Castellius conversus in B. M. V. de Organo Congreg. Olivet. mirè à B. M. V. vocatus, de quo ipse ad Præsidem Generalem de cujus sanctitate multa narrantur.

1619. 1139. Crescentibus Virginum in Virginem Matrem studijs, pluribusque jam Cœnobijs Reformationi Marianæ se jungentibus, nequid sibi nimiùm credere videretur B. Margarita nostra, meritissima Institutrix Visitatorem suæ Reformationis Generalem decernit Ven. P. F. Laurentium Bernardum, cui deinceps P. Eustachius Asselinus successit, uterque de familia Dominæ nostræ meritissimus.

1620. 1140. Horti Mariani in terris & Regno Hispaniarum mira felicitas, quâ de familia Hortensi etsi sæpè diximus, nunquàm tamen satis dixerimus, tanto fructu ac flore non solùm Hispanias implevit ac beavit, sed & palmites ad usque terræ & maris limites extendit atque exporrexit. Hoc ipso anno novum Orbem invecta, cum isto nequaquam ejus virtus & gloria constringeretur Pontifex Max. jussu & Regis Catholicæ commendatione petito inde ad gentes remotissimas Apostolicæ vitæ exemplari, Reverendiss. & Illustriss. Domino P. Petro de Ouiedo, Dominicapolitani Archiepiscopi titulum merente, totiusque Orbis Novi Primata designato. Ut videas, quàm verè gen-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		gentem Domitrix & Dominatrix Domina nostra in suis clientibus prædicetur.
		Moritur felicissimè 7. Martij Ven. F. Antonius de Panormo conversus Montis Regalis, miraculorum gloriâ clarissimus, Cultor Deiparæ singularis, cujus Imaginem quandam dies noctesque mirè venerabatur, quam & in morte præsentem habere visus est. Imago illa deinceps summa fuit in veneratione.
		Ipso anno Thaboritarum Prædicantium impulsu, dum Königsalense propè Pragam Cœnobium totum exureretur, Deiparæ pulcherrima Imago illæsa prorsus, sed nec fumo vel obiter notata grandi prodigio servata est.
1621.	1141.	Immortalibus felicissimo transitu jungitur beatæ memoriæ Joannes Jacobus Fuliensis Monachus, qui ex primis fuit Joannis Barrerij discipulis, cùm is celeberrimam illam B. M. V. Fuliensium Reformationem moliretur, juvenili ætate Apostolicæ prædicationis studio jam tantus, ut mirificè omnes inflammaret, maximorum Principum animos percelleret & traheret, adeò ut manum illius vestemque venerabundi adoscularentur. Effulsit autem magnâ sanctitatis opinione, eo imprimis Virginum Virginem insigniter demeritus, quo immortali sanè fructu novam Congregationem Virginum sub ejusdem magnæ Matris & S. Ursulæ honore & invocatione instituit, legesque & Constitutiones iisdem condidit, magnis magnarum familiarum Auctoribus & Deiparæ præcipuis cultoribus accensendus, rarissimum sæculi nostri ornamentum.
1622.	1142.	Rursum novo delecto inter nostros domicilio hoc ipso anno Dei Genitrix gratiosissimam iisdem se exhibet in quodam Marquettensis Virginum Cœnobij Sacello, magnis sese & contestatissimis miraculis prodere dignata, ad cujus deinceps illic Imaginem multus fidelium concursus factus est, & multis exin collata sunt prodigiosa beneficia sanctitatis.
1623.	1143.	Admirandis prodigijs illustratur lectissima illa Marianæ Congregationis Institutrix B. Margarita de Arbous, quæ inter per-

Ann. Chr.	S.P.N.	
		perinsigne illud cum hoc ipso año grassante vehementius pestilenti lue, vix quisquã impune domo pedem efferret, & Cœnobij Oeconoma defectu necessariorum anxia in horto Cœnobij in preces effusa per merita Margaritæ Dominum pro ope interpellaret, rarissimo sanè miraculo, dum ab oratione surgit, ingentem ante se ovorum acervum intuetur, quo sacræ Virgines deinceps abundè refectæ sunt. Quo eodem ferè tempore contigisse ejusdem Cœnobij Granarij seu pistrino præfectæ videtur, cùm frumentum vix ad sex hebdomades sufficeret; recurrenti siquidem ad S. Abbatissam & graviter questæ, Margarita unum quotidie in area tritici orandum Ave MARIA iniunxit, & stupenda res! triticum ad sex usque menses superfuit.
1524.	1144.	Requivit hoc anno requie æternâ à magnis laboribus ad præmia evocatus æternitatis Ven. P. Dionysius Argentier, qui in clarissima illa & peculiarissima Divinæ Matris Claræ vallis residentia Domesticis magnæ Matrisfamilias accensus, deinceps Vicarius ejusdem Paterfamilias & Abbas eligi meruit, dignissimus etiam tanto post melliflui Doctris Successor, Reformationis & ipse zelo ferventissimus, quo sanè Dominam suam plurimùm demeruit, novamque quasi familiæ ejus faciem induxit, exemplar ipse gregis adeò illustre factus, ut perditissimi hujus sæculi miraculum habeatur. Ejus defuncti ad pedes magnus ille Aureæ Vallis Abbas Bernardus de Montgaylard Vir miraculorum gloriâ illustris supplex & procubuus eosdem magnâ animi devotione osculatus est, universis è sacro cætu idem Officij prosequentibus, mortuum ipso etiam Numine honorante, & miraculorum gloriâ illustrante, quæ inter Religiosum quendam quartanâ laborantem, alium gravi stomachi infirmitate, quendam apostemate, alium venæ sectione periclitantem prodigiosè juvit, & incolumitati restituit.
1625.	1145.	Ipso anno Januenses solemni voto & decreto S. Bernardum nostrum Doctorem mellifluum, Deiparæ dilectissimum, perpetuum Urbis & Reipubl: Patronum & Tutelarem cooptant, summisque honoribus venerantur.

1626. 11 6. Magna illa Marianæ Congregationis meritissimaque Reformatrix B. Margarita de Arbous, æternum sæculi hujus Ordinis, & Ecclesiæ ornamentum, ad præmia & gaudia æterna evocatur, anno ætatis suæ 46. cùm facies illicò ejus post mortem velut nimio illita gratiosissima appareret, & miram odoris fragrantiam corpus redoleret, non minùs post obitum quàm dum viveret miraculis illustrissima, rariore imprimis illo & planè inaudito: non ex corpore solùm ejus, quod de quibusdam sanctis legitur, sed & de vestimentorum ejus particulis prodigioso oleo dimanante. Fuit in omni vita Deiparæ amantissima, cujus invocatione prodigiosa subindè meruit, & si quid Virgines suæ impetratum vellent, ad Dominam suam remisit, ejusque honorem & cultum magnâ industriâ promovit & commendavit. Ita Monialem quandam anxietatibus & scrupulis conscientiæ obnoxiam orare ante Imaginem beatissimæ Virginis jussit, & mirè mutata illa ac libera deinceps rediit, ita annonam multiplicari, ut supra vidimus, meruit admiranda per omnia Virgo, nostræ ætatis miraculum, visa non semel immenso splendore radiare, cujus vitam prolixiùs nonnihil tom. II. Menologij nostri descripsimus.

Eodem anno solemniter transferuntur corpora BB. Idesbaldi & Joannis Barrerij insignium Cæli Reginæ Cultorum.

1627. 1147. Felicissimâ immortalitatis luce donatur Ven. P. F. Joannes à S. Dionysio, qui natæ primùm lectissimæ magnæ Virginis Fuliensium Congregationi nomen dedit, tanti à Patribus illis perfectissimis factus, ut primævo sanctissimi instituti verè ac flore plantularum Marianarum curâ, Novitiorum scilicet præfectura multis ipsi annis committeretur. Fuit Joannes mirus sacri Silentij Custos, ita ut vix aliquid nisi submissâ voce & quam brevissimis verbis loqueretur, è quibus familiariora illa: *Facere, & pati, Silentio & solitudine.* Quibus magnus hic magnæ Matris Domesticus Dominæ suæ se insigniter probavit, & dignam tantâ Matre sobolem educavit, quorum sanctitatem nulla satis posteritas mirabitur.

Mo-

1628. 1148. Moritur Ven. P. F. Bernardus de Montgaylard Vallis Aureæ in Gallia Abbas, Deiparæ amantissimus, quam & insigniter demeruit, reformatâ quàm accuratissimè sacrâ ejusdem familiâ Cisterciensi, ita ut præcipuus post B. Joannem Barrerium, postremæ Ordinis Reformationis Author habeatur. Fuit magni factus ab Innocentio & Clemente Romanis Pontificibus, nec non Galliarum Regibus, & ad varios honores expetitus, Episcopalibus Infulis Pamiensi & Andegavensi recusatis gloriosissimus. Decessit anno ætatis 65. visus à morte nonsemel inter præstantiores Divinæ Matris cultores cælesti fulgore coruscus incedere, mellifluo Doctore Bernardo, Guerrico Igniacensi, & Dionysio Claræ vallensi deducentibus, cujus merita multa etiam signa miraculosa prodiderunt.

Ipso anno religiosissimæ mem: Abbas Blasius Monasterij S. Blasij in Hercinia, singulari ergà Benedictam Benedictini Ordinis Matrem Virginem affectu minante ruinam Totmosianâ ejusdem Dominæ Ecclesiâ, splendidissimam tantâ dignam Matre à fundamentis exstruxit, & insigni religiosissimorum Virorum cætu instruxit, insigni peregrinantium solatio & bono, Deiparâ tam illis quàm istis prodigiosis beneficijs favente, & desolatos omnes ad se pelliciente & juvante.

1629. 1149. Cultor Deiparæ eximius Ven: P. Franciscus de Biuar, Nucalensis Monachus, claret, relictis ingenij præstantissimi monimentis immortalis, beatissimorum Candidi, Dominici, Gabrielis, aliorumque eximiâ sanctitate virorum, Monachorum Nucalensium felicissimus Collega, ipse etiam à Domina nostra cum Gabriele illo suo ad Cœnobium manu ductus cum felicissimus ille juvenis à beatissima Matre Virgine spectabili formâ de vocatione sua instructus, mentem suam & propositum Francisco insigni Theologo, necdum tamen nostris adscripto exposuisset, qui cognitâ Divinæ Matris propensâ adeò ergà Cistercienses nostros voluntate præmissum Gabrielem illicò subsequutus, ejus supremam in Cœnobio morientis confes-

Ann. Chr. | S.P.N. | sionem excipere meruit, & supremo cum halitu attrahere Spiritum illum Marianum, cujus utriusque memoria est in benedictione.

1630. 1150. Certatim toto passim Ordine & Orbe diversissimæ sub invocatione magnæ Matris Congregationes excitantur. Exsplendescit stupendis prodigijs apud Monserratenses Einsidlenses, MARIAE-cellenses, Fulienses, Marquettenses, Venarienses, habitans in medio nostrorum Cæli Augusta, regnat in corde, ore, calamo nostrorum Mater Sapientiæ, triumphat in purpura Martyrum, & Apostolorum Regni Angliæ, mox etiam Martyres coronatura Regina Martyrum afflictissimæ Germaniæ, quæ omnia etsi ex parte notata litteris, fluctibus tamen patriæ ac tempestatibus jactata & dissipata ejus Tutelæ committimus, & commendamus, cujus amore hæc scripsimus. Cui laus & gloria per BENEDICTUM Fructum Ventris ejus (à quo per illam BENEDICTO Patri nostro & Ordini universo omnis est gratia, gloria, & Benedictio (in sæcula sæculorum, Amen.

DEUS BENEDICTUS · in sæculis æternis.